





Sammelband

Cl
137







RESPONSIO
CLARISSIMI
VIRI D. DANIELIS
HOFFMANNI S. S. THEOLO-
giae Doctoris & Professoris in Academia
Juliae publici

AD

*Questionum trium: An in verbis cenae, Panis est
corpus, Tropus sit: Quisnam ille sit, & in qua
voce insit, Explicationem institutam & editam à
Johanne Piscatore Theologiae in schola
Herbornensi Professore*

E

*Publicis lectionibus excepta & nunc tandem gra-
vissimas ob causas ad Ecclesiam universam litens
hanc secundum veritatem dijudicantem missa per
quendam Christianae pietatis studiosum.*



LEMGOVIAE,
Per Hæredes Conradi Grotheni.

CL. M. DC. XXI.

RESPONSIO

CHARISSIMI

CHRISTOPHORI D. DANIELIS

THEOLOGICI

in Dogma de ...

...

AD

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

LEMOVINE

Pet. Hederici Comiti Gropshani

...

CHRISTIANO LECTORI

SALUTEM.



Non est dubium, Christiane lector, quin vehementer hujus seculi te certamina moveant, anxiumque & sollicitum Ecclesiae statum adspicientem reddant, cum omnia conturbata videas, nihilque adeo firmum sit, quod vesana quorundam hominum libido labefactare non conetur & diruere funditus laboret. Fuerunt olim tempora longe tristissima, quando Arriana factio totum fere Christianum orbem occupaverat. Orthodoxa enim fides sinceraque confessio vim patiebatur fraudibus perfidiaque circumventa. Non laetiora nos nunc vivimus secula, quando rixis discordiisque omnia non modo plenissima sunt, sed etiam cuius recte constituta magnoque labore communita quavis arte attentare licet. Nihil tam constans unquam fuit habitum, nihil tam certum & immotum quam definitum nulli competere, cui nequeat definitio recte attribui. Haec machina ad sophismata quavis destruenda omnibus instructissima est explorata. Nulli unquam concessum aliquid fuit, qui hanc omnis iudicii normam non sequeretur. In causa Sacramentaria quae inter eos, qui ex una parte Lutherum sequuntur & qui primum Cinglio ex altera adhaerebant, postea vero Calvinum potissimum

A 2

sectas

AD LECTOREM.

sectati sunt (absit calumnia verbis) diu mul-
 tumq; agitata est, cum varia utrinq; discepta-
 rentur, quæ pleraq; non tam explicarent con-
 troverliam, quam intricarent difficilioremq;
 facerent, accessit clarissi. vir D. Daniel Hoff-
 mannus S. S. Theologiæ D. & Professor in
 Academia Julia ad rem maximè arduam opti-
 mos Athletas, D. D. Heshulium, & Chemni-
 tium, secutus, peregrina alienaq; esse refecan-
 da, & causæ caput pertractandum sedulo re-
 ctissime arbitratus est. Lutherus τὸ ἕκτομ ver-
 borum Christi, panis est corpus retinendum
 censuerat, Cinglius contra Tropum advo-
 candum, qui orationem hanc modificaret,
 verumq; sensum gigneret atque exprimeret,
 contenderat. In hac controversia tropi natu-
 ram planissime investigandam jure nostrates
 putarunt, ut qua ratione orationi rei q; ipsi is
 conveniret monstraretur. Tandem doctissi-
 mus & in hac palæstra exercitatissimus Beza
 in eas angustias adductus est armis D. Danielis
 Hoffmanni expediti simis, ut Tropum non in
 verbis, sed in Enunciationis $\chi\epsilon\tau\alpha$ tueri se
 posse, contra omnem tropi naturam, non sine
 multorum admiratione, autumatus sit. Huic
 malo cum discrimen, quod inter verba est axi-
 oma enunciantia, & Axioma ipsum seu præ-
 dicationem, ex argumentorum, quæ enunci-
 antur, natura & affectione metiendam, obje-
 ctum jam antea occurrere videretur, credidit
 D. Hoff.

AD LECTOREM.

D. Hoffmannus piis & veritatem sine hypo-
crisi quaerentibus abunde satisfactum esse, nec
quicquam aliud ab us, qui pacis sint, quam tur-
barum, studiosiores requiri, quam ut veritatis
omnipotentiae; & infinitae sapientiae laus Sal-
vatori nostro tribueretur unanimiq; consen-
su omnes contra rationem stultissime dictata
offensionesque accedentes, non datas in senten-
tiam verbis Christi testamentariis magna cum
severitate, nocte ea, quae morti proxime pra-
cessit, ei; ultima fuit, pronuntiatis significa-
tam conspirarent. Prodiit interim ex adversa
parte Johannes Piscator vir doctissimus mul-
tisq; ingenii dotibus insignis, qui certamen
hoc longe gravissimum restaurare totumque
suum facere maluit quam committere, ut im-
prudenter temereq; partes Cinglii desertae
& Lutheri approbatae alicui viderentur, quin-
imo Tropum his verbis inferendum quavis
conclusiuncula contra genuinam Tropi pro-
priamq; definitionem omnino duxit, ne a ma-
joribus merito negligentiae incusatus, quod
aliquid ad praconceptae opinionis defensio-
nem parandam omiserit poenas tanto facino-
re dignas luere cogatur. D. Hoffmannus con-
tra obviam eundem, monstrandumque toti
Ecclesiae judicavit, hinc ruinam imminere
Calvinismo certissimam, Bezaeq; non sine
caussa silentium in conspicio tum suum pro-
misisse, tum nostrorum petiisse, frustra vero

AD LECTOREM.

Piscatorem absurdi dogmatis absurdissimam defensionem temerè suscepisse. Occasio præterea quæ offerebatur, veritatem confirmandi, necessitatem, hæc sophismata pagellis illis divulgatis comprehensa refellendi imponebat. Verabatur enim Hoffmannus præceptor noster Reverendus in explicatione Locorum communium, eratq; ad Sacramentorum doctrinam provectus, ubi non tantum simplex veritatis descriptio, sed fallorum etiam dogmatum dilucida ab Auditoribus refutatio postulabatur. Responsio hæc, quam hic vides, Christ. Lector, publice ad Piscatoris explicationem data nostra hæctenus fuit, Ecclesiæ toti nondum reddita, a multis vero piis avidè expectata & expetita sæpius. Nostra monere suppressa diutius non potuit, sed iustissimis rationibus id exigentibus, cum omnibus communicari voluit certo persuasa fore multos, qui rectius instituti de certitudine veritateq; Calviniani dogmatis dubitaturi sint, & ad illud omnipotens, veracissimum, sapientissimumq; Redemptoris nostros reversuri.

Quod ad Piscatorem attinet, sperant omnes boni, cum non agrelaturum, quod sint, qui à luce remota hæc noluerint, cum ipse nec vocatus, nec etiam, quod facile persuaderi omnes sibi patuntur, quibus & causa & actor notus protrusus in hanc arenam descenderit. Expectant interim animum veritatis constantem.

AD LECTOREM.

stantissimæ pulcherrimæq; cupidissimum, nec
cum verbis modo jactari, sed re præstari ipsa à
Piscatore cupiunt: libertatem quoq; judicii
servitutis, quæ Christum Dominum agno-
scat, quæq; captivitatem rationis admittat, di-
vinaq; & mystica rerum humanarum modulo
non metiatur, legibus finiendam æstimant
graviterq; statuunt.

Tu vero Christiane Lector, qui certami-
num severitatem exhorrescis, pacemq; optas
& quietem, precibus ad Deum ardentissime
fulis contende, ut fideles & constantes verita-
tis divinæ defensores & assertores incolumes
latiq; contra varia multorum consilia persi-
stant, errores detegant, coarguant, damnent.

Hoc nisi fiat pax nulla inimicitias seque-
tur, nec spes quietis ulla re-

linquitur. Vale.

QUÆ

QUESTIONES
RHETORICAE
TRES DE VERBIS
DOMINI,

Hoc est corpus meum.

I.

An in eis sic tropus.

II.

Quisnam in eis sic tropus.

III.

In qua voce tropus ille insit.

Explicatae per JOHAN. PISCATOREM,
Professorem sacrae Theologiae in scho-
la Herbornensi.



CAN.

CANDIDO LECTO,
RI SALUTEM.



MIRUM prima fronte videbitur multis, candide Lector, tres istas, quas mihi hinc ad explicandum proposui quæstiones, à me nominari Rhetoricas: quum tamen institutæ sint de re Theologica, videlicet de sacra Domini Cœna: Sed qui penitius rem considerabunt, videbunt istud nomen rectè & convenienter quæstionibus hisce à me attributum esse. Etsi enim quæstionum harum explicatio ad veram mysterii sacre Cœnæ intelligentiam requiritur: ipsæ tamen hæ quæstiones non sunt de re ipsa, in qua mysterium illud consistit, sed de locutione quadam, qua Dominus in mysterio hoc edocendo est usus. Queritur enim, An verba illa Domini, HOC EST CORPUS MEVM, itemq; illa, HOC EST SANGVIS MEVS, quibus Sacramentum Cœnæ instituit, proprie loquendo, an verò per aliquem tropum ab ipso sint pronunciata. At de tropo quærere, non est Theologi, quatenus quidem est Theologus: sed quatenus Rhetor. Et enim sicut Grammatica & Dialectica, sic etiam Rhetorica ars communis est: Cujus

usus tam Theologo quam aliarum disciplina-
rum professoribus ac disputatoribus necessarius
est. Verum id quidem est, Quaestiones has non
nisi à Theologo, id est homine sacrarum litera-
rum & doctrinae Christianae perito explicari
posse: Hoc tamen non obstat quo minus qua-
estiones Rhetoricae sint: quippe quarum explica-
tio à praeceptis Rhetoricae dependet. Hanc au-
tem commentatiunculam meam rogatu amico-
rum in lucem edere volui: bona spe fretus, fore
ut simplici hac illarum questionum declaratione
multi in vera de Sacramento Coenae sententia
confirmentur, nonnulli etiam ad veritatem in
hac doctrinae Christianae parte intelligendam
non parum adjuvantur: nempe ii quibus veri-
tas cordi est, quiq; eam ex animo desiderant ac
quaerunt. Faxit Deus pater Domini nostri Jesu
Christi, ut quod pie spero, id in quam plurimam
eveniat, ad gloriam nominis ipsius, & salutem
illorum sempiternam, & deniq; Ecclesiae
Christi aedificationem,
Amen.

QUAE.



QUÆSTIO PRIMA.

An in verbis Domini, HOC

EST CORPUS MEUM,

sit tropus?

RESPONSIO.

TR O P U M aliquem in istis verbis inesse, sic ostendo.

Verba illa aut proprie dicta sunt, aut per tropum.

Non autem proprie.

Per tropum igitur.

Propositio manifestam veritatem habet: Etenim quicquid omnino dicitur, id aut proprie loquendo, aut per aliquem tropum dicitur: Assumptionem verò sic demonstro:

Cum unum dicitur esse alterum proprie loquendo: tum aut idem de seipso aliter tantum nominato dicitur, aut definitio de definito, aut definitum de definitione, aut genus de specie.

Ac in

*At in verbis propositis nihil horum
fit.*

*Non igitur proprie verba illa dicta
sunt.*

Propositionis veritas nititur sufficienter enumeratione partium: quas singulas istis exemplis declaro.

Exemplum primæ partis. Hic est filius ille meus dilectus, Matth. 3. v. ult.

Exemplum secundæ partis. Christus est filius DEI unigenitus, in plenitudine temporis homo factus ex Maria virgine.

Exemplum terciæ partis. Filius DEI unigenitus in plenitudine temporis ex Maria virgine homo factus, est Christus.

Exemplum quartæ partis. Christus est filius hominis.

Hic tamen observandum est, plura quidem esse propriarum locutionum genera: veruntamen non ejusmodi quibus unum dicatur esse alterum, sed alterius particeps seu altero præditum. Cujusmodi sunt, quum de specie dicitur differentia aut proprium aut accidens aliquod: ut, Homo est rationalis, Homo est risibilis; Socrates est sapiens, Socrates disputat.

Assum-

Assumptionem sic demonstro.

1. Panis cœnæ & corpus Christi sunt res disparatæ: Non igitur sunt una eademq; res. Ac proinde cum panis dicitur esse corpus Christi (id quod fit in istis Domini verbis) non dicitur idem de se ipso.

2. Definitio omnis constat genere & differentia: At istis verbis *Corpus Christi* non significatur genus cujusquam rei: quia eis notatur species specialissima, quam vulgò individuum nominant. Ergo istis verbis non potest contineri definitio panis Eucharistici.

3. Similiter panis Eucharisticus significat certum & individuum panem. Non igitur istis verbis comprehenditur definitio aliqua: Ac proinde nec corpus Christi de illo pane tanquam definitum de definitione dicitur.

4. Corpus Christi non habere se ad panem Eucharisticum, ut genus: modò ostensam est probatione secunda.

Quum igitur jam sit demonstratum, verba illa Domini non esse dicta proprie:
Ne-

Necessario concluditur, per tropum aliquem dicta esse.

At verba ista Domini (ajunt nonnulli) verba testamenti sunt: Clara igitur & perspicua: ac proinde propria, non autem figurata, tropica, allegorica, ænigmatica denique. Quasi verò nihil clarè aut perspicuè dicatur, nisi quod verbis propriis atque nativis dicitur? quasi non sint in usu plurimi tropi clarissimi & illustrissimi, atque adeò rem, de qua sermo habetur, clarissimè illustrantes? Qualis nimirum tropus iste metonymiæ est, in Scriptura de Sacramentis usitatissimus: & quidem discipulis in istis Domini verbis vel ex collatione agni paschalis, in cuius locum cœnam hanc sacram substitui videbant, ita clarus & perspicuus, ut de illius sensu sive intelligentia ne verbum quidem apud Dominum facerent: id quod certè faciebant, quoties aliquid obscure (hoc est quod ipsi non assequerentur) dictum esset. Quasi denique in testamenti condendis non sit locus locutionibus tropicis? Quid enim? an non Patriarcha Jacob Gene. 48. benedicens duobus

bus filiis Josephi, itemq; Genes. 49. filiis suis singulis eventura prædicens, testamentum condebat. At illic fere omnia tropicè dicta reperiuntur. Exempli gratia, *Ego do tibi* (dicebat Josepho) *partem unam supra fratres tuos: quam accepi è manu Amorrhæi, gladio meo & arcu meo.* Cum dicit *Accepi*: non certè loquitur propriè, sed metonymicè, pro eo quod propriè dicendum fuisset, *Quam posteri mei ex te & duobus filiis tuis oriundi suo tempore vi armata accepturi atq; occupaturi sunt.* Sic de Juda loquens, ait: *Non recedet sceptrum à Jehuda,* &c. Ubi per sceptrum metonymicè regnum intelligit. Deniq; *Isascharum asinum, Danem serpentem, Naphthali cervam, Josephum ramum* methaphoricè ibidem appellat.

QUÆSTIO SE-

CUNDA.

Quisnam ille sit tropus?

RESPONSIO.

Dico esse in illis verbis metonymiam, nempe metonymiam subjektivam, quæ

Et, qua scilicet subjectum de adjuncto, res nimirum signata de signo dicitur. Hoc quivis non contentiosus facile concedet. Omnino; Concedunt illi ipsi qui tropum hic admittere nolunt, panem esse symbolum seu signum corporis Christi. At corpus Christi de pane (ut iidem, saltem saniores, fatentur) prædicatur. Quid ergo? annon hinc firmo syllogismo efficitur atque concluditur, in istis verbis rem signatam de signo enuntiari, ac proinde tropum Metonymiæ in eis esse? Syllogismus in claram lucem & conspectum ponatur ad hunc modum:

Quoties res signata de signo (nempe subjectum de adjuncto) dicitur, tropus Metonymiæ est.

At in verbis Domini, HOC EST CORPUS MEUM, res signata de signo (nempe corpus Christi de pane) dicitur.

Ergo in verbis illis Domini tropus Metonymiæ est.

Huc accedit alterum argumentum:

Qua

*Qua ratione Circumcisio dicitur esse
foedus Jehovæ, itemq; agnus pa-
schalis dicitur esse transitus Je-
hovæ: eadem ratione panis sacre
Cæna dicitur esse corpus Christi
crucifixum. Nam de similibus
idem iudicium est: Sacramenta
autem sunt res inter se similes:
quippe quum eorum unus idemq;
sit finis, nempe obsignare fidelibus
promissionem gratiæ Dei.*

*Aequi in duobus istis prioribus enun-
ciatis est Metonymia.*

Ergo & in enunciato proposito.

Assumptio ex verbo Dei facilimè con-
firmatur. Nam Genes. 17. v. 10. Circum-
cisio dicitur esse foedus Jehovæ, quæ ea-
dem continenter v. 11. dicitur signum
foederis: quod nomen & Paulus Roma.
4. v. 11. ei tribuit. Sic Exod. 12. v. 11. & 27.
agnus ille mactatus, dicitur pefach (id est
transitus) Jehovæ, quia erat signum me-
moriale illius transitus, quo transiverat
Jehova domos Israëlitarum, percutiens
primogenita Ægyptiorum. Unde de
festo azymorum (quod ejusdem cum
B festo

Festo paschæ rationis eiꝰ annexum erat)
 dicitur cap. 13. v. 9. *Et erit tibi in signum ad
 manum tuam, & in monimentum inter oculos
 tuos, &c.* Demonstratum igitur iam est,
 in verbis illis Domini, **H O C E S T
 C O R P U S M E U M**, esse tropum Me-
 tonymiæ.

Quæ ipsa demonstratio ad altera quo-
 que verba pertinet quæ Dominus de
 poculo pronunciavit, nempe, *Hoc est
 sanguis meus*: quippe quorum eadem est
 ratio. Tantùm diligenter hîc observan-
 dum, non rectè illa vulgò cum veteri
 interprete sic efferri, *Hic est sanguis meus*.
 Nam hoc latinis auribus perinde sonat,
 ac si diceretur, *Hic sanguis quem de-
 monstro, est sanguis meus*. At Christus
 cum diceret, τὸ ἐστὶ τὸ αἷμα μου, per pro-
 nomen τὸ non demonstrabat sangui-
 nem suum: sed ostendebat poculum, &
 Metonymicè intelligebat vinum poculo
 contentum. Planè enim ut in verbis it-
 lis τὸ ἐστὶ τὸ σῶμα μου, pronomen τὸ ad
 panem referri necesse est, sicut paulo post
 liquidè demonstrabimus: Sic in his ver-
 bis, τὸ ἐστὶ τὸ αἷμα μου, idè pronomen τὸ

non

non nisi ad poculum referri potest aut debet. Quod ipsum etiam manifeste liquet ex recitatione verborum quæ extat apud Paulum 1. Cor. 11. v. 25. ubi nomen poculi pronomini τὸ ad ipsum declarandum expresse adjungit, inquiens, τὸ ποτήριον ἢ κωνὴ διαθήκη ἐστίν. Similiter 1. Corinth. 10. v. 16. verba illa Domini utraque sic declarat, ut pronomem istud τὸ in alteris quidem per nomen panis, in alteris verò per nomen poculi exponat: Sic enim ait: *Poculum benedictionis quo benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?* Neque hic valet effugium istorum qui dicunt, Paulum cum in verbis Domini mutat subiectum, id est antecedens enunciati, mutare quoque prædicatum, id est enunciati consequens. Imò neutrum mutat: sed utrumque explanat ac declarat: cum certum sit, Apostolum non alium sensum verbis Domini affinxisse, sed illum ipsum retinuisse quem Dominus fuerat secutus. Sicut enim Dominus verbis istis Sacramentalibus docere voluit, sa-

crum illum panem & sacrum istud vinum divina testimonia esse, quibus ipse discipulis ac omnino fidelibus omnibus testetur, corpus suum pro ipsis universis seu pro tota ipsorum multitudine crucifixum iri, itemque sanguinem suum pro ipsis universis in cruce effusum iri, ad eis impetrandum remissionem peccatorum: sic etiam Apostolus fidelissimus verborum Domini interpretes hoc ipsum, vocabulo *κοινωνίας* (id est communionis adhibito) etiamnum expressus docere voluit: nempe sacra illa symbola, panem illum inquam & poculum illud, quorum in Coena fideles participes fiunt, divina atque infallibilia testimonia esse, quibus Christus ipse testetur, ipsos universos tanquam unum corpus, cujus caput Christus est, communionem inter se habere in corpore Christi pro ipsis crucifixo, itemque in sanguine Christi pro ipsis effuso. Deinde effugii illius falsitas manifeste perspicitur ex collatione versiculi 28. cap. 26. Matth. cum versu 25. cap. 11. epistolæ ad Corinth. Apud Matth. sic habetur,

τὸ το

τὸ γὰρ ὄσι τὸ αἷμα μου τὸ τῆς νευνῆς διαθήκης
 id est, hoc est enim sanguis meus novi
 foederis : Apud Paulum verò sic extat,
 τὸ ποτήριον ἢ καλὴ διαθήκη ὄσι ἐν τῷ ἐμῷ
 αἷματι, Hoc poculum novum illud fœ-
 dus est per meum sanguinem. Hic ma-
 nifestè apparet, Paulum pronomini τὸ
 addidisse nomen τὸ ποτήριον, & tamen
 verba prædicati retinuisse, quanquam
 parumper inverfa, sed eodem manente
 sensu. Nam sive dicatur, poculum D O-
 M I N I esse sanguinem novi foederis, si-
 ve novum illud fœdus per sanguinem
 C H R I S T I : Utriusq; hujus enuncia-
 ti sensus unus est, nempe poculum D O-
 M I N I esse Sacramentum ac testimo-
 nium divinum, quo D O M I N U S no-
 bis testatur, sanguinem ipsius in cruce
 effusum esse ad confirmandum & fanci-
 endum fœdus illud gratiæ, quo remissio
 peccatorum continetur. Quo loco &
 illa fallacia notanda est eorum, qui di-
 cunt prorsus similem loquendi ratio-
 nem esse in verbis D O M I N I (prout
 ipsi citant ex vulgari versione) *Hic est
 sanguis meus novi testamenti, &c. Matth. 26.*

v. 28. & in verbis Mosis (prout in eadem
vulgari versione habetur) *Hic est san-*
guis foederis quod pepigit Dominus vobiscum,
Exod. 24. v. 8. Cum igitur verba illa Mo-
sis hunc sensum habeant, ac si diceret,
Hic sanguis quem vobis ostendo quoq;
vos aspergo, est sanguis ille foederis, &c.
Hinc inferunt; verba quoq; Christi sic
esse intelligenda, ac si dixisset, Hic san-
guis quem vobis ostendo, est sanguis me-
us novi testamenti seu foederis. At, in-
quam, jam supra à nobis demonstratum
est, verba illa Domini τὸ τοῦ ἁίματος μου,
non recte conversa esse, *Hic est sanguis*
meus: sed reddenda esse, Hoc (nempe hoc
poculum) *est sanguis meus.* Deinde eti-
am si sensus verborum Mosis in loco il-
lo Exodi fideliter sit expressus (sic enim
expressit Apostolus, Hebræo. 9. v. 20. in-
quiens, τὸ τοῦ ἁίματος τῆς διαθήκης) scien-
dum tamen, in Hebræo ad verbum sic
extare. Ecce sanguis foederis quod pepi-
git Jehova vobiscum, quasi dicat, Hic
sanguis quem vobis ostendo (ostende-
bat autem sanguinem holocaustorum)
est sanguis foederis illius quod pepigit
Jehova.

Jehova vobiscum: id est sanguis ad fœ-
 dus illud sancendum adhibitus: qui
 quidem sanguis adumbravit sangui-
 nem Christi, quo novum fœdus sanc-
 tum est, sicut ex verbis institutionis li-
 quet, Luc. 22 v. 20. Marc. 14. v. 24. At
 aliud est (ait quidam) unum pro altero
 poni, & unum de altero prædicari. Me-
 tonymia est, cum toga pro pace poni-
 tur. Metonymia verò non est, quum di-
 citur: toga est pax: sed sic explicatur me-
 tonymia, & oratio facta est metaphori-
 ca. Hactenus ille. At, inquam, etsi duo
 ista loquendi genera non nihil differunt,
 tamen utrumque eodem sensu usurpa-
 tur, & alterum ex altero, efficitur. nam si
 nomen rei signatæ rectè pro nomine si-
 gni ponitur, ita ut hoc ex illo intelliga-
 tur: cur non etiam rectè, & eodem qui-
 dem sensu, nomen rei signatæ de nomi-
 ne signi prædicaretur? Confirmant hoc
 exempla Scripturæ & veterum Ecclesiæ
 doctorum. Agnus paschalis dicitur esse
 Pesach, hoc est, transitus Jehovæ: sicut
 paulo antè ostendimus: at idem agnus
 etiam Pesach nominatur: ita ut nomen

B 4 Pesach

Pefach pro nomine illius agni ponatur: ut Matth. 26. v. 17. discipuli dicunt, *Domine ubi vis paremus tibi ad edendum Pascha?* Et mox v. 18. Dominus jubet, ut suis verbis cuidam in urbe dicant, *Apud te faciam Pascha cum discipulis meis.* Et rursus v. 19. ipse Euangelista ait, eos paravisse Pascha. Hic nomen Pascha (quod corrupte dicitur pro Pefach) ponitur pro agno: de quo eodem alibi praedicatur seu enunciatur, nempe Exod. 12. v. 11. & 27. Sic veteres nomen corporis Christi ponebant pro nomine Sacramentalis panis, quum dicerent, *Corpus Christi in sacra Coena manibus tangi, in terram labi, & id genus alia.* Etsi igitur non nihil differunt duo illi loquendi modi, quum unum pro altero ponitur & unum de altero praedicatur: tamen utriusque idem sensus est, quatenus in utroque idem tropus est. Fallitur autem, si quis putat, in istis verbis, *Toga est pax*, orationem esse metaphoricam, neque enim sensus illorum verborum est, togam paci esse similem, sed togam esse pacis insigne: quam esse metonymiam, nemo

Rhe-

Rhetorices peritus non videt.

Sed reperiuntur hodie qui negant, per pronomen *Hoc* in verbis Domini panem Eucharisticum, & nihil aliud, demonstrari: contraque contendunt, pronomen illud referendum esse ad quippiam (quod ipsi fingunt) ex pane Eucharistico & corpore **D O M I N I** compositum, ita tamen ut principaliter ad corpus Domini referendum sit. Atque ita isti ponunt in verbis Domini Synecdochen integri, qua scilicet quod de composito enunciatum sit, de altera illius parte sit intelligendum. Hanc esse illorum sententiam, planum est ex iis quæ ad hoc declarandum afferunt exemplis. Dicunt enim verba Domini eodem modo esse intelligenda, quemadmodum si quis centum daleros marsupio inclusos alteri tradens, dicat, *Das sint hundert Thaler*. Item, si quis vinum in cantharo apponens, dicat, *Das ist Wein*. Item, si quis avenam sacco inclusam ostendens, dicat, *Das ist Habern*. Consimiliter intelligendum esse contendunt quod Dominus

B 5 dixit.

dixit, *Das ist mein Leib*: ita scilicet ut pronomen *Das* non referatur ad panem sacrae Coenae sed ad corpus Christi in pane latens. At, inquam, isti falsum praesupponunt: videlicet corpus Christi in pane Eucharistico latere, id quod nulla ratione probari potest, & veritati corporis Christi ex diametro repugnat. Unde jam liquet exempla ista verbis Domini similia non esse. Porro pronomen *Hoc* in verbis illis ad solum panem referri debere, ex ipso contextu planè evincitur: quippe cum nihil aliud praecedat quò referri possit. Narrant enim Evangelistae, Dominum accepisse panem: deinde fregisse, nempe illum panem: tum gratias egisse, nempe super illo pane, hoc est gratiarum actione panem illum sanctificasse seu ad sacrum usum destinasse. Praeterea dedisse illum ipsum panem discipulis: & postremò inter dandum dixisse, nempe de illo ipso pane, *HOC EST CORPUS MEVM*. Quis veritatis amans non clarè perspicit, pronomen *Hoc* in istis Domini verbis non alio quàm ad panem cujus mentio praecessit, referri posse?

Restat

Restat ut eorum quoque sententiam
 consideremus, qui in verbis illis Domi-
 ni Metaphoram ponunt, fortasse ex eo
 moti, quòd corpus Domini pro nobis
 crucifixum, simile est pani. Nam sicut
 panis nutrit corpora nostra ad vitam
 hanc naturalem, ita corpus Domini pro
 nobis crucifixum nutrit animas nostras
 ad vitam spiritualem. Quod quanquam
 ita se habet: non tamen inde sequitur, in
 verbis illis Domini esse Metaphoram.
 Neque enim quaestio hic est de corpore
 Domini, quorsum illud nobis profit, si-
 cut Johan. 6. ubi Christus ait, carnem su-
 am verè esse panem seu cibum: in quibus
 verbis metaphoram inesse nemo recte-
 sentiens negat. Sed quaestio hic est de
 pane Eucharistico, quorsum ille nobis à
 Domino institutus atque ordinatus sit,
 nempe in Sacramentum corporis ipsius.
 Interim verum est, metonymicam istam
 locutionem similitudine illa, quam si-
 gna cum rebus signatis habent, tan-
 quam fundamento niti. Sicut rectè ju-
 dicavit Augustinus, cum scripsit, Sacra-
 menta earum rerum quas significant, si-
 mili-

„ similitudinem habere: quam nisi habe-
 „ rent, ne Sacramenta quidem fore: atq;
 „ inde fieri ut etiam nomina rerum quas
 „ significant, suscipiant.

QUÆSTIO TERTIA.

In qua voce tropus ille insit?

RESPONSIO.

POSTEAQUAM demonstravimus in ver-
 bis illis Domini tropum inesse, eumq;
 Metonymiam esse ostendimus; restat
 ut etiam declaremus, quàmnam in voce
 Metonymia illa insit. Dico igitur eam
 inesse in verbo substantivo *EST*, idq; sic
 probo:

*Metonymia illa est aut in propo-
 sitionis illius subjecto, aut in predica-
 to, aut in copula.*

*At nec in subjecto, nec in predicato
 est.*

*EST igitur in copula, nempe verbo illo
 substantivo EST.*

Propositio manifesta est, & apud om-
 nes Logicæ peritos extra controversiam
 posi-

posita Etenim omnis propositio categorica sive enunciatio simplex, ex his solis tribus partibus constat: subiecto inquam, prædicato, & copula.

Assumptionem sic probo:

1. Pronomen demonstrativum *Hoc*, quod in ista propositione locum subiecti tenet, refertur ad panem Eucharisticum, ut supra est ostensum. Et de pane propriè intelligitur.

Non igitur in eo est metonymia.

2. Nomen *corporis* quod obtinet locum prædicati, intelligitur de corpore Christi propriè dicto; ut planum est ex verbis quæ apud Paulum & Lucam adduntur, nempe, *Quod pro vobis datur seu frangitur*. Certum est enim, corpus Christi propriè dictum, pro nobis in mortem datum & quasi fractum esse. Restat igitur ut metonymia illa insit in copula, nempe in verbo illo substantivo *Est*. Quæstio est enim, quomodo seu quo sensu panis propriè dictus, dicatur esse corpus Christi propriè dictum: nempe non propriè loquendo, sed per tropum metonymiam: quia nimirum significet

cor-

corpus Christi, sive signum illius sit: Etenim duæ istæ expositiones sibi mutuò non aduersantur, sed æquipollent: atq; adeò altera ex altera sequitur. Nam certè si panis ille Eucharisticus significat corpus Christi, sequitur eum esse signum corporis Christi: Et vicissim, si signum est corporis Christi, certè significat corpus Christi.

Si quis contendat, cum verba Domini exponuntur sic; *Hoc est corpus meum*, id est, *Hoc est signum corporis mei*: tum tropum poni in prædicato: id aliquatenus concedi potest, nempe si intelligatur, tropum poni in prædicato quatenus est prædicatum: Est autem prædicatum ratione copulæ, quippe cuius vi subiecto attribuitur. Atque ita res eodem redit. Et omnino eadem est ratio prædicationis, quæ est nominationis. Etenim nomen ideo rei rectè tribuitur, quia rectè de re prædicatur. Verbi gratia, Nomen Herculis ideo rectè tribuitur statuæ Herculis, quia rectè prædicatur de statua Herculis, nimirum metonymicè: ut quum statua Herculis ostenditur, & dicitur,
EN

EN HIC EST HERCULES; ac
 proinde si quis statuam illam confrege-
 rit, dicetur Herculem confregisse, ubi
 iam nomine Herculis ipsa statua Her-
 culis intelligitur. Cùm igitur metony-
 mica appellatio pendeat à metonymi-
 ca prædicatione: prædicatio autem om-
 nis dependeat ab enunciati vinculo:
 consequens est, in metonymica prædi-
 catione metonymiam ipsi vinculo in-
 esse. At quidam contendit, in copula
 istorum enunciatorum, *PANIS* est cor-
 pus Christi, *VINUM* est sanguis Christi,
 tropum non esse. Quum enim hæc co-
 pula sit *συνκατηγορημένον* (inquit) tropica
 non erit, nisi infecto prædicato per ean-
 dem figuram. Inficiatur sanè, inquam,
 prædicatum eodem tropo. quid tum po-
 stea? Equidem hac in re nihil est absur-
 di. Nam siue Metonymia in prædicato
 siue in copula ponatur: hoc est, siue ver-
 ba Domini exponantur ad hunc mo-
 dum, *Hoc est signum corporis mei;* siue ad
 istam, *Hoc significat corpus meum:* utro-
 biq; idem sensus est. Sed cur copulam vo-
 cat *συνκατηγορημένον*, id est, aliquid quod
 una

unā cum prædicato prædicetur? Tra-
 dunt quidem interpretes Aristotelis,
 verbum ὑπαρκτικόν esse interdum κατη-
 γορεύμενον, ut in enunciatis quibus respon-
 detur ad quæstionem An sit: ut Deus est,
 Angeli sunt, Purgatorium non est: in-
 terdum verò προσκατηγορεύμενον, quasi di-
 catur apprædicatum, eò quòd prædicato
 apponitur vel potius præponitur, ut
 ipsum de subiecto enunciatur, & tunc
 rationem vinculi seu copulæ habet, nec
 ipsummet prædicatur, sed instrumen-
 tum est, quo mediante prædicatum sub-
 jectò attribuitur, συγκατηγορεύμενα autem
 nominari poterunt eæ voces quæ ad
 principale prædicatum pertinent: ut
 si dicatur, Christus est filius ille DEI
 viventis. Hic principale prædicatum
 est *Filius*: reliquæ voces sunt συγκατη-
 γορεύμενα. Ex his apparet, isto argumen-
 to nihil contra tropum in vinculo con-
 cludi.

Verum enimverò non desunt, qui fa-
 teantur quidem, panem Eucharisticum
 corporis Christi esse signum sive sym-
 bolum, sed symbolum corporis cum pa-
 ne præ-

ne præsentis. Id quod probare conantur exemplo columbæ quam Johannes Baptista vidit descendere super Jesum, quæ columba nominatur in Scriptura Spiritus sanctus, eò quòd symbolum esset Spiritus sancti, hoc est, quo significabatur Spiritus sanctus. Sic enim scriptum est, Iohan. 1. v. 33. *Super quem videris Spiritum sanctum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto:* tum addit, *Ego igitur vidi, &c.* At quid vidit? nempe columbam: ut narrat Matthæus cap. 3. v. 16. *Spiritus* igitur nomen in Iohanne ponitur pro nomine columbæ, quæ symbolum erat Spiritus, per metonymiam subiecti. At columba symbolum erat Spiritus sancti præsentis. Ergo par ratione panis Cœnæ Dominicæ, symbolum erit corporis Christi præsentis. Nego consequentiam: quia non est par ratio: quum Spiritus sanctus infinitus & ubiq; sit, corpus verò Christi finitum & uno tantum in loco. Quod si dicatur, Columbam illam fuisse symbolum non generalis illius præsentia, qua ubiq; est Spiritus sanctus, cælum ac ter-

C

ram

ram replens : sed præsentiaæ cujusdam singularis, nempe gratiaæ singularis qua adfuit humanæ Christi naturæ per sua dona: Concedo: sed talis præsentia non potest ascribi corpori Christi: cum gratia & efficacia donorum, non sit corporis Christi tanquam causæ agentis, sed ipsius personæ Christi, quatenus unâ cum Patre per Spiritum sanctum in cordibus electorum est efficax. Hoc est quidem verum, Christum corpore suo, quatenus illud pro nobis in cruce obtulit, impetrasse nobis à Patre gratiam illam & efficaciam Spiritus sancti: sed ipsum tamen corpus in nos nihil agit, nec in animas, nec in corpora nostra. Non igitur prorsus similis est ratio, quum columba illa nominatur Spiritus sanctus, & ejus symbolum esse dicitur: & quum panis Coenæ nominatur corpus Christi, & ejus symbolum esse affirmatur. Corpus enim Christi nec per essentiam nec per efficaciam cum pane est: Sicut Spiritus sanctus erat cum illa columba per essentiam, cum Christi verò humanitate per efficaciam.

Hic

Hic quæret fortasse aliquis ex me, an non igitur concedam, verbis illis Domini, **HOC EST CORPUS MEUM**, significari aliquam corporis Christi cum pane præsentiam? Non concedo, inquam. Quid ita? Quia, inquam, Dominus iis verbis non voluit significare, ubi suum corpus esset: neque enim erat opus, cum illud coram à discipulis conspiceretur: sed docere tantum voluit, quid sibi velit iste panis, seu quem ad usum sanctificaverit istum panem fractione & gratiarum actione. Hanc enim doctrinam haud dubie expectabant à Domino discipuli: quippe qui sciebant, Dominum nihil temere aut sine gravi causa agere; eidemque constare, se jam satis pastos esse, famemque ac sitim explese. Docuit igitur eos, panem hunc esse corpus suum quod pro ipsis & tota multitudine electorum paulo post sit crucifigendum. Ubi quis sacrarum literarum peritus, non facile videt, locutionem istam esse sacramentalem, ac proinde metonymicam? quippe qua nomen rei significatæ ipsi signo tribuitur. Et discipulos verba

Domini sic intellexisse, ex ipso eorum silentio apparet. Qui si Dominum de re quadam insolita ac miraculosa loqui putassent, interrogassent eum: id quod in rebus etiam minoris momenti facere consueverant.

In summa, nihil refert sive adsit corpus Christi (ut in prima Coena) sive absit (ut post ascensionem ipsius in caelum) panis ille semper Sacramentum ejus est, hoc est sacrum signum ac testimonium divinum, quo Christus fidelibus testatur, se corpus suum pro ipsis in cruce obtulisse patri ad expiandum ipsorum peccata, atque ita ad patrem eis placandum, gratiamque illius erga ipsos promerendum. Quod qui credit atque ita testimonio huic divino fidem habet, is hoc ipso vescitur spiritualiter corpore CHRISTI crucifixo, dum scilicet acquiescit in gratia Dei sibi per illud reconciliata, atque ita in Deo gaudet & vivit. Quibus maximis DEI erga se beneficiis qui contentus non est, sed praeterea ipsius corporis Christi praesentiam nescio quam in pane sacrae Coenae, vel etiam in suo corpore
aut

aut anima desiderat : is nunquam satis
 perpendit, quanti sit testimonia divina
 & veluti sigilla habere, per quæ de re-
 missione peccatorum & vita æterna per
 Christi mortem parta certi simus. De-
 niq; doceantur simplices, quis sit usus
 quæq; vis Sacramentorum, divinorum
 inquam illorum testimoniorum: nem-
 pe, Christum per illa nobis repræsentare
 & in memoriam revocare mortem su-
 am : ut pro illa à nobis solemni gratia-
 rum actione celebretur, & nostra fides
 hac exercitatione confirmetur atq; au-
 geatur. Qui ut fines sunt hujus sacri in-
 stituti, ita eosdem virtute sui Spiritus ef-
 fectos dat in electis suis. Quo fit ut non
 sint nuda & inania signa, sed signa effi-
 cacia, hoc est organa Spiritus sancti,
 quibus ille potenter utitur ad fidem in
 electis confirmandam, atque ita ad
νοινωvίαν ipsorum cum Christo augen-
 dam : non secus ac ipso Euangelio ad fi-
 dem tum gignendam tum alendam uti-
 tur; unde illud ab Apostolo Paulo po-
 tentia D E I nominatur ad salutem om-
 ni credenti, ad Roman. 1. ver. 16. Quare

Scripturæ vestigiis insistentes, naturam
ac vim Sacramentorum declaremus to-
tam in mystica significatione & effi-
cacia divina Spiritus sancti
positam esse.

F I N I S.



R. E.



RESPONSIO
CLARISSIMI
VIRI D. DANIELIS HOFF-
MANNI AD JOHANNIS PI-
scatoris quæstiones & earum expli-
cationem.

PRIVS QVAM juxta insti-
tutum nostrum recitem, expli-
cem & confirmem theses com-
plectentes doctrinam necessariam
hujus loci, excutiam paginas Jo-
hannis Piscatoris, quibus pollicetur quæstio-
num Rhetoricarum de verbis Domini explica-
tionem. Etsi enim de præcipuis monere potuis-
sem sub ipsis thesibus suo loco; Utilius tamen
fuerit libelli illius errores ordine persequi, mihi
quoq; gravis affertur ad respondendum neces-
sitas, cum thesibus meis refutandis, imò veritati
opprimende studium illud dicatum sit. Piscator
in controversia, que de cœna Domini mihi cum
Theodoro Beza fuit publica, animadvertens,
ubi hæreret adversarius meus, monuit, quem
superiorem mallebat de quibusdam, sicut ipse
Beza confitetur in conspicio. Rursus verò
Piscatorem exercuit vicinus quidam ingenio-
sus

sus & doctus, quondam auditor meus, cui
Metonymiam Bezae justis rationibus agnovit
à me reprobata; ut ventilatae sint illae quæ-
stiones inter Bezam, Piscatorem & tertium
quendam per annos aliquot. Equidem putassem
Piscatorem mea arantem vitula veritatem in-
venturum, aut si dissensio maneret, mecum pri-
vatim de controversiis acturum, praesertim cum
amicae salutationes inter nos intercesserint, quæ
in me accenderunt desiderium cognoscendi ea, de
quibus Bezam erudiisset. Verum non placuit
Piscatori privatus congressus noster, sed ut as-
sentatori suo vicissim palpum obtruderet Bezae,
controversiæ palmam ei adversus me decernere
voluit, ita tamen, ut laudem, quam à Beza re-
portaverat singularitate opinionum tueretur.
Quandoquidem igitur hic cardo vertitur gra-
vissimi certaminis, & Beza haud dubie Pisca-
torem ideo sua persona induere voluit, ut, in qui-
bus antea succubisset ipse, hic bellum instaura-
ret, & quacunq; posset ratione prostratum vin-
dicaret. Incauta verò juvenus facili momento
huc illuc impellitur, nisi confirmetur, Ideo ne
meâ culpâ quisquam erraret, verâ & salvâ re-
sponsione providendum duxi. Accedo autem ad
examen libelli Piscatoris invocato nomine Je-
su, de cujus verbis res est.

PRI.

PRIMUM DE TI- TULO LIBRI.

Titulus non solum mihi displicet, sed ne quidem auctori probari potuit, cum ipse jungat apologiam testem nimirum vellicatæ conscientiæ, quæ neq; est vel veritate vel probabilitate suscepta defensio vel excusatio, ut cordato lectori satisfacere posset, adeo ut inde pateat, Titulum jure suspectum esse. Non dissimulo tam ambitiosè distractam fuisse disputationem de hac materia, ut adversus nostrates conducta sint & confluxerint servitia male feriatorum Grammaticorum, Dialecticorum, Rhetoricorum, Physicorum & Geometrarum, sed omnes illi exorbitantium pudore confusi sunt, & peregrinantium fatigationem senserunt: id quod nunc & Piscatori contingit. Questionem de tropo constante Rhetoricam non negat, verum in hoc graviter peccari manifestum est, quod controversiæ hujus circa verba Domini agitatae explicationem, sepositâ re mysterii, à præceptis Rhetoricis pendere dicit Piscator. Itane explicatio sacrorum mysteriorum alligabitur ad præcepta humana, ea inquam explicatio, per quam multi in vera de Cæna Domini sententia confirmantur, quemadmodum Pesca-

tor suam Rhetoricam declarationem ab hoc
fine commendat? Quid verò absurdius, & Ma-
gistro Rameæ disciplina in inquisitione veri-
tatis indignius, quam methodum deserere eam,
quam verè optimam prædica vit Ramus à no-
tioribus nimirum exordientem? Cum igitur
de verborum D O M I N I explicatione aga-
tur, quid prius occurreret interpreti textu D O-
M I N I? & quid notius sperabitur de verbis
nimirum mysterii, ipsa declaratione auctoris?
Hoc verò lumen præterire, quid aliud est,
quàm aditum ad veritatem patefactum præ-
clusum velle iis, qui sequuntur ductum ita va-
gantis? Quid porrò vanius est labore hoc Pi-
scatoris Rhetoricas quaestiones proponentis,
iisq; decisionem gravissimæ litis deferentis,
antequam demonstret à natura prioribus de-
volvi illam partem ad Rhetoricam? In cuius-
vis orationis censura Rhetorica, necesse est,
ut omnium primò quid dicatur, intelligatur.
Cumq; hîc sit quaestio de prædicatione Sacra-
mentali: H O C E S T C O R P V S M E-
V M, ante omnia inspicienda est sedes pro-
pria, & os auctoris, quid de eadem statuat,
consulendum.

Post hanc cognitionem Dialecticæ partes
proximè subveniunt, ut nimirum prædicatio
cen-

hoc
la-
eri-
um,
no-
tur
ga-
O-
bis
is?
E,
ra-
va-
Pi-
is,
is,
de-
us-
E,
ur.
ra-
E-
ro-
at,
res
tio
en-

censeatur, num propria sit vel impropria?
Et si impropria, num tropum salvâ explicatio-
ne primariâ & ordinariâ admittere queat. Si
jam constiterit, quod sensus genuinus ferat tro-
pum, adsciscitur demum Rhetorica, ut tro-
pum explicet. Si verò tropo locus non fuerit,
testibus duobus illis ordine necessario antece-
dentibus censoribus. (Nam nec Christi decla-
ratio, nec prædicationum regula tropum in il-
lis verbis admittunt ac tueri possunt) nullus
erit locus officio Rhetorico. Non enim est
Rhetoris munus, ut tropum qui non est, ex-
plicet. Vident igitur omnes sani, quod ad no-
tum laborem Petri, hoc est, vanum, in-
vitentur lectores à Piscatore, quibus exemplo
Petri Luc. 5. ad Christum dicentis, Ex tuo jussu
demittam retia, rectius consulatur, ne quid præ-
ter verbum D E I suscipiant hoc præsertim in
mysterii negotio. Deterreri etiam ab hoc titu-
lo & instituto debuisset monitu suæ questionis
primæ **ANSITROPVS**: Cum hic aqua
hæserit Beza, unde Piscator scire debuerat,
circa hanc questionem controversiam subsiste-
re, hujusq; decisionem primò omnium expe-
ctandam esse. Questio autem ista non est
Rhetorica, sed potius Dialectica. Et si
enim de tropo queritur, qui est Rhetori-

ca, ta-

æ, tamen tantum à Dialectico inquiri potest,
& quia ante certam declarationem tam præsu-
mitur, quod non sit, quam quod sit Rhetoricæ,
καὶ μάλιστα tota hinc cessat, donec Dialecticus
thema expedierit, & Rhetoricæ materia constet.
Dialecticus autem non enunciationem solum,
verum & prædicationem considerat, & cum hæc
ad rei veritatem sit composita, ex eaq; æstime-
tur, non adhibet præcepta sua ad cogendam ora-
tionem in suam formam rebus incommodam, sed
orationem ab auctore in singulis partibus expli-
catam poscit. Itaq; hoc loco Theologum prius,
postea verò orationem Theologicam ad præce-
pta suæ artis exigat, & quæ præcepta sententiæ
Theologicæ adversari deprehendit, non tenenda
aut contra urgenda, sed potius, ne discipline
confundantur (id quod Ramus diligenter incul-
cavit) cedere jubet, maxime cum Dialecticus
non sit rerum parens aut dominus, sed notiones
& distinctiones rebus aliunde natis suo veluti
communis famuli ministerio non obtrudat, sed
accommodet, hoc est, quantum rebus intelli-
git esse commodum. Hæc cum negligat Pesca-
tor haud feliciter piscabitur, sicut ipsa apologia
ex meris, antilogis consuta testatur. Modò ait,
quæstiones institutas de re Theologica, modò
negat quæstiones esse de re ipsa: Fatetur quæstio-
nes

nes has non nisi à Theologo explicari posse, & tamen eas Rhetoricas vult appellari, quoniam earundem explicatio à præceptis Rhetoricis dependeat. Si legibus Ramæis agere voluisset, dixisset aperte: primarias quæstiones de verbis Domini esse Theologicas, easq; minimè seponendas, sive Dialecticus sive Rhetoricus interveniat, sed ante omnia illas pertractandas: Secundarias verò esse Dialecticas, easq; demum inventum tropum tradere explicandum Rhetoricò, atq; sic extrema & viliori ex parte quæstiones de verbis Domini fieri Rhetoricas. Verum prima & potissima præcidit, & Rhetoricæ explicationi laborem præcipuum arrogat Piscator, quod est contra leges eruditionis & veritati, veteri Sacramentariorum artificio fraudulento & insidioso, vehementer inimicum, cum non ducet ad agnitionem veritatis, sed inde abducatur, de quo initio monendi fuerunt auditores, ut huiusmodi dolos eorum disputatorum, antequam irretiantur, caveant: sed ut dolus planior sit, addo Petri Rami de hoc artificio sententiam, qui de Crypticis Methodi suas inquit de Methodo regulas observandas esse, quoties perspicuè res docenda erit, at cum delectatione motu ve aliquo majore in parte aliqua fallendus erit auditor, homogenea quedam rejiciantur,

ur, ut definitionum, partitionum, transi-
tionumq; lumina: quaedam pro his assumentur he-
terogenea, &c. Cognoscitis nunc, quod Pesca-
tor Methodum perspicue docendi deseruerit, &
crypsin ad fallendum apertam usurparit, do-
lum profecto in controversia Theologica exe-
crandum, etsi alias in poetis & orationibus sive
lusu nemini nocente, sive quadam insigni utili-
tate commendabilem.

DE PRIMA QUÆ- STIONE.

An in verbis Domini, Hoc
est corpus meum, sit
tropus?

NON minus eruditionis est in questione
formanda atq; in responso reddendo, neq;
expectanda est apta responsio, ubi quæ-
stio indistincta non agnoscitur. Quis est qui
ignoret, aliud esse verba etiam in oratione singu-
la, aliud orationem ex iisdem compositam? &
tamen Pescator id videre noluit, quâ etiam pa-
tiam mihi persuaderi, quod amore veritatis ad
hoc scriptum accesserit, & candidè agat, cum in
primo limine negligat, quod à me fuit in primis
& qui-

Et quidem necessitate indicatâ postulacum? Si
verò super vacaneam meam postulationem du-
cit, cur non disertè eam rejicit ostensa vel distin-
ctionis nullitate vel nullâ utilitate? Fallere
eum voluisse constat ex præcedentibus, sed astu-
tia oratoria oblitus turpius se dedit. Confiteor,
inquit Antonius apud Ciceronem, me, si quæ
premat res vehementius, ita concedere solere, ut
non modo non abjecto, sed ne rejecto quidem scu-
to fugere videar, sed adhibere quandam in di-
cendo speciem atq; pompam & pugnae similem
fugam: Consistere verò in meo presidio, sicut
non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa cessisse
videar. Hæc si observasset Piscator, sanè plures
cepisset incautos, sed Deus eum voluit citius
confusum. Saltem Beza hic veluti mus in pi-
ce hærens, vel si hunc privatim libera vit discipu-
lus, incautè ipsius impedita vestigia lecturus,
monendus fuisset, quomodo expediri deberet.
Vos autem auditores expendite, quanta hæc sit
in celebri Rami discipulo oscitantia, ut cum de
tropo quærere instituerit, nec cogitarit quidem,
quid tropus suo usu prima fronte suggerat. Est
enim tropus docente Ramo, cum verbum
à nativâ significatione in aliam immutatur. Et
rursus inquit, tropum esse singularum vocum,
figuram conjunctarum.

Atq;

Atq; hæc Rami doctrina omnibus verè eruditis
recepta fuit. Ramæum igitur præ cæteris eru-
ditione famosum dum alios de tropo erudire præ-
sumit, trita & necessaria illa non observasse,
pudendum profectò est, & quia hoc ad fallen-
dum in doctrina Christi susceptum est, haud
aberit à probroso crimine. Dicet fortè quispiam
Piscatorem tropum querentem in verbis Do-
mini eo ipso quo tropum appellavit in verbis,
proposuisse æstimationem singulorum verbo-
rum. Idem sanè & ego conjicere vellem, ve-
rùm cum non admonito hîc proclive sit erra-
re, explicatè dicendum fuisset, quæ discretio ad
vitandum errorem necessaria foret. Neq; verò
hactenus tantùm impudenter egit Piscator, neq;
interrogando id indicare voluit, quod collegi-
mus, sed præter studium occultandi in initio
hamum, postea fallere non veretur apertius,
cum ad quæstionem respondeat de locutionibus,
itaq; affectionem tropi in verbis singulis, quam
interrogatio præ se ferre videbatur, cum affe-
ctione locutionis confundat. Et hoc primò no-
tetur vitium certè inexcusabile & veritati no-
xium. Alterum, quod hîc committit, est, quod
in responso se non astrinxerit ad legem $\nu\alpha\tau\acute{\alpha}$
 $\pi\alpha\rho\tau\acute{\omicron}\varsigma$. Non enim sibi proposuit ideam gene-
ralem comprehendentem omninò quicquid qua-
cunq;

eunq; ratione dicatur : et si ex hoc axioma-
te tanquam nihil non, quod huc spectet complectente,
restrictius tamen usurpato manifestam verita-
tem jactet. Nam ne quidem philosophicè con-
stat, quod quicquid omnino dicatur, id aut pro-
priè loquendo, aut per aliquem tropum dicatur.
Est enim Aristoteli quoddam genus vocabu-
lorum, quod κατὰ τὸ νότον καὶ ὑπερὸν ap-
pellat, neq; censet appellandum synonymum
neq; homonymum simpliciter, cum illis vocabu-
lis neq; unum neq; multa simpliciter significen-
tur. Dicentur igitur quædam neq; propriè lo-
quendo, neq; per tropum simpliciter. Unde ma-
nifestum fit, quod propositio Piscatoris mani-
festam veritatem non habeat, de qua gloriatur.
Neq; etiam correctæ satisfacit universalitati;
quæ ut coram philosophis detur, ita coram Theo-
logis sufficiat. Ut enim illi naturam ejusq; va-
rietatem in essentialibus atque accidentalibus
una synopsi complectentes simul locutionum &
prædicationum modos constituerunt, quibus
enunciatur res quæq;, ut esse deprehensa fuit,
neq; in hoc genere excessere ideam à natura sup-
peditatam : Ita Theologis dispiciendum est,
num ad observata à Philosophis plenè possint
exigi omnes enunciationses & prædicationes
Theologicae. Hic verò cum occurrant res uni-

D versa

versa naturæ universam copiam excedentes &
à modis illarum omnibus longè alione, certè
ipsa ratio humana, si insanire noluerit, constan-
ter dictitabit stultum fore, si quis orationes illis
singularibus, & à nullo Philosopho, quatenus
Philosophum egit, cognitio, disertaq; indicatio-
ne Theologica, mysticum modum habentibus,
applicatis ad præcepta tantummodo modis
Philosopho notis sufficientia exigere voluerit.
Hic figat pedem disputator, & mecum congre-
diatur periculum faciendo, quomodo hanc mihi
extorqueat clavam, qua ferocientes & exor-
bitantes Philosophos coerceri oportet. Aut enim
dicat & probet Piscator, Deum omnino nihil
mysterii instituisse, & esse velle quod modum in
natura ordinatum non servet, sed excedat, aut
si hoc non fuerit ausus, adeò necesse est præter
inventos modos prædicationum rebus natura
notis naturæq; cursum servantibus aptatos,
præter hos inquam adeò oportet planè alios &
singulares dari modos enunciandi, qui rerum
modis singularibus peculiariter conveniant si-
cut necesse fuit synonymas & homonymas, es-
senciales & accidentales discernere. Necessita-
tem autem attulit immotæ veritatis natura &
hanc salvam tuendi studium. Ut igitur verita-
tem perdit falsumq; docet, qui essentialem præ-
dicationem facit accidentalem, & hanc illam
omni

omni sublato discrimine: ita mendacem con-
vinci manifestum & necesse est, qui Theologo
singulares predicandi modos præter Philoso-
phicos non concessit. Hanc necessitatem discre-
tionis Piscator tollat, si vir est Beza vali-
dior. Istam enim ego amplector, istam exorno,
istam exaggero, ibi commoror, ibi habito, ibi
hæreo. Verum ibidem ille pisce magis mutus
est. Postquam autem pedem inde extulit, ra-
nam imitari coaxando non desinit, cui respon-
deo versu veteri:

Linque Coax raris, Cras cordis, vanaq; vanis.

Maximè autem infamis est negligentia
cum invidia juncta, nempe Professore S.
Theologie (quem titulum suum Piscator in
frontispicio libri asscripsit) non solum Theo-
logi privata hereditare nolle, sed etiam ne cui
ali salva sint, abolitionem eorum perpetuam
moliri. De quo animo factoque Deo, conscientie
proprie piis item & doctis bonisque quam reddi-
turus est rationem? Ego verò nostræ confes-
sioni gratulor, quod Piscator solido fundamen-
to insistere nolens in aquis fluctuet quem tamen
Deo ne submergatur & pereat, commendo. For-
tassis autem regeret, se nihil eorum neglexisse,
quæ desiderem, sed in loco rationem eorum ha-
buisse talem, qualem debuerit.

Quod enim singularum vocum æstimationem

attinet, se eam questione tertiâ observasse, ad
quam tum demum sua methodo delatus sit, cum
primùm de generali affectione prædicationis
tropum arguente, postea de specie tropi & de-
niq; de verbo sustinente eum, quærere voluerit.
Sic in probatione propositionis conductæ ad de-
monstrationem assumptionis dicet se adductis
exemplis, quæ ego singularium & inusitata-
rum enunciationum locutiones fecerim, pro-
prias loquendi formas declarasse, ut alia quam
hac meæ opinionis refutatione opus non sit.
Equidem viam ad veritatem quamcunq; faci-
lem collauda vero, verum non tam quid præ-
tendatur hoc loco quàm quid præstetur exqui-
rendum est. Fateor Piscatorem postremo loco
quærere, in qua voce tropus sit, itaq; singula-
rum vocum considerationem non omninò præ-
teruisse. Verùm nec hoc est quod volo; neq;
quod desidero, ille in loco adhibuit. Opponit
enim propriè, & per tropum dicta, quasi im-
mediatè necessaria membra oppositionis, id quod
reprehendo distinguens inter proprietatem vo-
cum & proprietatem prædicationis. Vocum
proprietas est uniuscujusq; nativa significa-
tio: quæ si immutatur, id sanè per tropum fieri
largior. Alia autem est proprietas ipsarum
prædicationum, quæ non tam in ratione vo-
cum

cum quàm modorum prædicandi consistit. Et si enim propria oratio non fuerit, si alterutrum extremonum tropum admiserit, tamen, ut in propriis locutionibus modi mutantur, non mutata vocum proprietate, quæ singulis non multiplex, sed simpliciter unica est: ita proprietatem illam ab hac diversam statui oportere manifestum est. Quæ igitur prædicationum est proprietas, non eadem necessitate cum illa altera postulabit oppositum per tropum, maxime cum collectis modis propriis his ipsis respectibus cogamur ad modos oppositos intendere animum. Jam si ex consideratione modorum proprias & improprias dederis locutiones, fac porro periculum, an omnis impropria tropum ferat.

Hic verò in dictione singularium, quæ improprie quidem sunt prædicationes, sed tropum respuunt, evincimus immediatam oppositionem, qua Piscator utitur, esse falsum. Sed verior distinctio hæc fuerit: Prædicatio autem propria est aut impropria. Propria suis speciebus subdistinguitur. Impropria autem, de qua nunc quærimus, aut usitata est aut inusitata. Usitatam impropriam dico, quæ per tropum Rhetoribus usitatum figurata est, & declaratione reduci potest ad propriarum aliam

D 3 quam.

quam. Inusitatam appello, quæ nec eropum
fert, nec modo usitato cognitoq; explicabilis est,
aut ad modos proprios congruit. Quis enim sa-
næ mentis homo præsumeret saltem modum my-
sticum & inexplicabilem reducere ad notum &
declarare. Liquez igitur, quod distinctè non do-
cuerit Piscator, neq; omnia in loco obseruari,
quæ singulorum & conjunctorum consideratio
suppediat, dictoq; in loco necessaria exigis ob-
servanda, unde concludi oportet, quod nec ex-
plicatione promissa nec enumeratione specierum
ad primi syllogismi propositionem firmandam
instituta satisfecerit. Minimè etiam obscurum
nunc esse potest, quod inusitatis prædicationi-
bus temerè abolicis assumptionem obtrudere,
non demonstrare voluerit. Sed de hoc posteriore
nunc porrò quæremus, postquam prius de pro-
positione enumerante modos, quibus unum di-
catur esse alterum, quedam monuimus intri-
cantis, non extricantis magistri opus traden-
tia. Duo facit genera eorum, quæ propriè di-
cuntur: Aut enim, unum dicitur esse alterum;
aut unum alterius particeps seu altero prædi-
tum esse dicitur. Prioris generis formas enu-
merat quatuor pag. 1. Posterioris species facit,
cum de specie dicitur differentia, aut proprium,

aut accidens, pag. 2. Hæc si examinanda es-
sent plenius, queri posset ex Piscatore, quid
potissimum spectasset in distinctione, secundum
quod libera deprehenderetur à confusione.

Cum enim omnis definitio constet genere
& differentia, ut statuit pag. 3. & quando de-
finitio de definito, vel contra, dicitur, prioris
generis prædicationem faciat, vana certè fuerit
differentiæ ex hoc genere seclusio, ejusq; ad al-
terum rejectio. Experiatur hic quispiam, num
distinctionem hanc ad unam quandam inten-
tionem, quemadmodum par est, revocatam,
servatis unicuiq; generis sui speciebus, salvare
possit à confusione, quam distinguens potissimo
suo fine declinârit. Sed his nunc missis, con-
queror, quod Piscator doctrinam hanc non
evolvat, sed involvat.

Quos enim modos propriarum enunciatio-
num recenset, plerosq; generali quodam respectu
producit, quo extra modos prædicabilium cen-
sentur, unde convenientia quædam resultat
communis, quam ne improprie quidem præ-
dicationes omninò respuunt, ut cum idem dici-
tur de seipso, item, cum definitio de definito &
contra. Hinc est illa in subjectis exemplis ap-
parens regularitas. Cum verò modos, quibus

res sunt, quod dicuntur, propius adspexeris,
rationem exquisitiorem verae proprietatis re-
peries. Etsi enim Logicae officium non est mo-
dos docere, quibus res sunt; tamen notiones si-
bi proprias a rebus, ut sunt, abstrahit: Et quot
modis ipsum E. S. S. E. rerum variatur, tot mo-
dis notionis suae formas illa distinguit, ut quae
rei propius congruit notio, ita verior proprie-
tas enunciationis id ipsum predicantis censeatur.
Observatum autem est ex universa rerum
natura ordinarie notiones nasci & singulares
& universales. Universales autem proprie
agnoscuntur predicabiles, & numerantur
quinque, inde etiam dicta predicabilia, Species,
Genus, differentia, proprium & accidens. Mo-
di dicendi hinc duo resultant, aut per se aut per
accidens, qui omnes dicuntur regulares & pro-
prii. Quicquid autem ad horum modorum pro-
prietatem non convenit, verè improprium fue-
rit. In his igitur terminis inquisitio continen-
da, neque desertis argumentis propriis ad com-
munia evagandum est, cum exorbitans ad re-
mota cum confusione redire jubeatur ad proxi-
ma. Exempli gratia. Enunciatio haec, DEUS
EST HOMO, num sit propria ita explorabi-
tur, si quaeratur, num de individuo species, vel
genus, vel differentia vel proprium vel acci-
dens

dens de specie dicatur. Nullum autem horum
fit. Non igitur est propria locutio. Quod si
ad communem rationem respexeris, quod idem
de seipso dicatur, id quod fit quia utrumq; vo-
cabulum ut concretum personam denotat, quæ
persona una modò Deus dicitur, modò homo,
tum fateor hunc modum congruere ad quen-
dam proprium in natura, quo idem de seipso di-
citur. Verùm hoc nihil facit ad asserendam
propriorem proprietatem, & cum de hac que-
stio sit, videtis quod Piscator in generalitatibus
ludat: ad rem verò non accedat. Sic enim defi-
nitio de definito dicitur regulariter, regulari-
tas quædam ostenditur, sed latior quàm ut pro-
priis locutionibus tantum competat, etsi defini-
tionis etiam propria à longè ostendat.

Cum enim Christum dico personam, quæ sit
verus Deus & verus Homo, definitio Chri-
stum, & quasdam generis & differentie notas
explico. Hactenus igitur etiam propriis argu-
mentis definitionem dicere videor: Verum si ac-
curatius attendero, ut personam admirandam
taliter, qualiter descripsi, ita definitionis um-
bratiles tantum notas delineasse deprehendor:
Siquidem partium collectione, ex quibus per-
sona constat differentiam quandam exprimo,
quam aliàs specificè agnosco. Et sunt tamen à

D 5 Deo

Deo locutiones tradita, quibus admirandum
mysterium enunciatur, ut *DEVS* est homo:
Filius Dei est *filius hominis*: *Deus* est *passus*:
Filius hominis erat in caelo, cum videretur in
terra, quae ad proprietates praedicationum ne-
quaquam congruunt, maxime si ad id attende-
ris, quod enunciationes potissimum observant,
unionem nimirum personalem copulantes *Di-*
sparata. Sicut igitur non repugno, eatenus
proprie dici, quatenus definitio qualiscunq;
de definito praedicatur; Ita hoc praedicationi-
bus rem singularem singulariter proponentibus
fraudesse non debet. Ad haec igitur exami-
nentur exempla *Piscatoris* primi sui modi, cum
idem dicitur de seipso aliter tantum nominato.
Hujus inquam exemplum praebet orationem
patris caelestis, *Matth 3*. *Hic filius meus ille*
dilectus: identitatem hic quandam notari per-
mitto, sed cum non sufficiat haec notio ad rem
notatu maxime dignam explicandam, osten-
dendum est. Optarem *Piscatorem* decla-
rasse identitatem, ut quid ipse spectasset, consi-
derari posset, nec ipsi occasio reservaretur
conquerendi, nos intentionem ejus non fuisse
assecutos.

Tacente autem *Piscatore* loquatur *Be-*

za

za, qui in priorē responsione ad me pag. 72. ita
identicam rationem in equipollente enuncia-
tione declarat: Cum inquit, Homo ille non
in se, sed in verbo subsistat, hac ratione prorsus
regularem esse dico hanc enunciationem indi-
vidui videlicet de seipso, quamvis nullum tale
ἄνθρωπος ἔσται in rerum natura. Hæc
Beza. Quæ haud dubiè vera statuit Piscator,
estq; ita composita oratio Bezae, ut imperito
facile imponat. Prorsus inquit, regularem
esse, ut incautus putet nihil superesse. Addit
autem hæc ratione, ut adversaturo responde-
ret, se πῶς ita locutum, non ἄλλῳς, unde
planum sit, ex parte tantum illam rationem
aptari, neq; explicationem hanc æquare enun-
ciationis mentem. Et quod de identitate con-
cedi potest, id respectu latentis adhuc quasi
medullæ sermonis superficiale, duntaxat
fuit.

Expendatur etiam, quod adjecit Piscator
de seipso aliter tantum nominato dici. Hoc
enim in subjecto exemplo minus locum obtinet
atque alibi: Etsi etiam vix ullum dari potest
exemplum ex toto cumulo locutionum identi-
carum quod mutatis appellationibus non mu-
tet nonnihil notionem animi.

Quo.

Quomodo Piscatoris cautela vix ullam pu-
rè identicam locutionem inveniatur, tamen hic
conceptus plurimum variant, cum impersona
concretivè nuncupata modò ab humana, modò
à divina natura appellationem sortiatur, quan-
do non solum datur appellationum mutatio, sed
simul ingeruntur disparatarum naturarum no-
tiones, earumq; admiranda unio præcipuè spe-
ctatur, ut præter rationem identicam illud di-
ctum intelligas, quod identitatem puram non
admittit, nisi Eurychianismo receptum parare
volueris, ipsam etiam identitatem inexplica-
bilem subjicit. Quod si hujus excellentiæ & ex-
cessus rationem in exemplo Logico ad materi-
am accommodato ostendere laboraveris, in va-
num sudabis, cum tibi nihil suppetat præter
communiam, in quibus solis hic hæret Piscator.
Non enim negari potest in hac oratione; Hic
est filius ille meus, hoc ipsum dici, Filius homi-
nis, hoc est, filius DEI, vel homo est Deus.
Harum prædicationum rationem, quæ modo
essendi congruat, quam quæso dabit convenien-
tem proprietati, quæ ex modis prædicabilium
propriè æstimatur? Atq; sic exorbitans cogi-
tur intra oleas. Similiter examineretur defini-
tionis exemplum: Christus est filius Dei uni-
genitus in plenitudine temporis homo factus
ex Ma-

ex Maria virgine. Agnosco definitionem
Christi qualemcunq̄, neq̄ omnem generis &
specificæ differentie notionem desidero, verum
quod illa sponte adsint & non precario veniant,
quodq̄ ad rem propius admodum seruent
usitatum, eumq̄ nullatenus excedant, hoc mihi
nondum persuaderi potuit. Logicam enim no-
tionem cum rei veritate comparandam esse, ne
Aristoteles quidem in regularibus renuit, etsi
aliud sit Logici, aliud primi Philosophi vel Phy-
sici munus. Jam si ad rem, quæ enunciatur,
collinearis, disparatorum copulationem maxi-
mè singularem deprehendes. Christus enim fi-
lius hominis intelligitur secundum carnem, &
filius Dei secundum spiritum interprete Apo-
stolo, Roma. i. Quæ sunt manifestæ disparato-
rum indicationes conjunctorum in unitate per-
sonæ citra exemplum simile, neq̄ pertingit ad
intimum sensum orationis, qui ista singularitate
præterita in communioribus tantum hæserit,
id quod animadvertit Bonaventura Schola-
sticorum doctorum hoc studio optimus, qui,
quantum potuit, cavet, ne in Logicis censuris
Theologiæ adhibendis à re Theologica discre-
paret. Hic igitur qui in tanta luce cælestis do-
ctrinæ non vixit, quanta nunc circumfulget
Piscatorem, non solum defectum Logicæ hic
accu-

accusavit, verum etiam demonstravit sic scri-
bens in lib. 3 sentent. distinct. 7. quest. 1. cum
dicitur, Deus est homo, Hic est singularis
modus predicandi. Non enim est talis predi-
catio per essentiam, nec per causam, nec per
inherentiam, sed est predicatio per unionem.
Ideo enim homo predicatur de D E O, quia
unitur ei in unitatem personae, & quoniam
haec unio est singularis, non est mirum si sin-
gularem exigit modum predicandi, & per hoc
patet illud, quod talis predicatio non reduca-
tur ad alios modos predicandi consuetos. Sic in
exemplo quarto, Christus est filius hominis,
vult esse predicationem generis de specie, in quo
mutationem individui in speciem, ut quod ex-
tra predicabilium numerum censetur, predi-
cabile reddatur, pro facilitate mea, qua in su-
pervacaneis disputationibus Theologica tra-
ctans utor ipsi largior. Hoc tamen non reci-
pio, quod plane eadem sit predicandi ratio &
regularitas in hac propositione: Christus est
filius hominis, cum ea, quae est in hac, Pe-
trus est filius hominis. Manet enim Christo
suum quoddam singulare, quo filius hominis
esse dicitur, cum D E I & hominis sit unus
filius, matremque habuerit Θεοτόκον, & filius ho-
minis declaretur secundum carnem, non secundum
Deitatem, Roma, 1. Petrus

Petrus autem sine tali discretionem dicitur
filius hominis simpliciter. Negari igitur ne-
quit, cum praedicationes modo attributionis
oporteat congruere rebus, quas enunciat
modum alium statui debere in hac enuncia-
tione: CHRISTVS est filius hominis,
quam in hac, Petrus est filius hominis. Et
quia modus alter regularitatis modum exce-
dit, sub uno hoc utrumque omnino continere
velle, non est ejus, qui veritatem piscetur. Et
qui hoc non observat, discrimen negligit, quod
in CHRISTO praecipue cogitandum est.
Eo enim, quo filius dicitur, ὑπόστασις etiam
exprimitur, quae hic non est quaedam creata
& in tempore facta subsistentia carni Christi
peculiaris, sed illa, quae λόγος fuit ab aeterno,
itaque ab assumente λόγος in matre, ipsoque mo-
mento, quo concepit, communicata assumtae
naturae, ut filio DEI & filio hominis una sit
ὑπόστασις, itaque unus filius, non duo, etsi u-
trumque dicatur, quod Christus sit Dei & homi-
nis filius.

Ex his paucis cordatus censor harum dispu-
tationum liquido cognoscit, quid desideretur in
adversarii nostri iudicio. Istud enim negligit,
quod potissimum indicatur enunciationibus de
Christo

Christo, & quo singularis modus notatur, cu-
jus exempla in rerum natura nulla sunt alia,
quodq; tam necessario observandum est, quam
necesse est, Christum fide Christiana à Ju-
dæorum & Mahometarum judicio segregata
in ista singularitate peculiariter agnoscere &
confiteri. Deniq; ex tali eventu aestimetur sa-
pientia Piscatoris, qua se supra omnes Ante-
cessores suos extulit. Intentio enim ipsius est,
novo quodam artificio salvare Bezam labo-
rantem in hac ratiocinatione:

Omnis prædicatio vera aut est pro-
pria aut tropica.

Sed prædicatio sacramentalis vera
cum sit, propria tamen non est.

Ergo necessario Tropica.

Cum autem intellexerit me ad Majorem
respondisse, Esse illas species tantum usitata-
rum enunciationum, præter quas sit inusitata-
rum quoddam genus, quo amisso disjunctivæ
sufficiencia tollatur, nolens rectè impetere istud,
quo amicum constringi dolet, ne ipse similiter
implicaretur novæ sapientiæ cujusdam opinio-
ne, regularium seu propriarum prædicationum
speciebus subjecit locutionem quandam de Chri-
sto, de quo nos inu, itatas proposueramus, indeq;
hanc spem sibi finxit, cum exempla illa in gene-
rali

vali quadam convenientia lectoris animum oc-
cupare possent, inusitatum genus consensu im-
peritorum facile missum iri, quando ille Beza
longè inferior levi suo lusui polliceri ausus fue-
rit, quod superior magno labore impetrare non
potuit, ideoq; persuasione vanus & inflatus ar-
guitur.

Rem verò eò recidere nostra indicatione
apparuit, ut Piscator, nisi dictum inusitatum
genus repetat, & plus Theologiae addiscat,
quàm superficiali specimine ostendit, doctri-
nam de Christo ad Judaicas & Mahometani-
cas calumnias compositam tradere convincatur.
Quod Piscator porro Assumptionem, quæ
in disceptationem non venit, ambitiosè probare
conatur, eo majorem vanitatem prodit, ut qui
laborem insumat & perdat in super vacaneis,
quem negavit necessarius. Repetenti autem &
jactanti inanium laborum fructus repetendo
respondeo: Cum, inquit, jam demonstratum sit,
verba Domini non esse dicta proprie, necessa-
riò concluditur per tropum aliquem dicta esse.
In antecedente concedo, quod propositiones sa-
cramentales, de quibus contenditur, non sint
proprie & regulares. Nego autem consequen-
tiam necessariò spondentem conclusionem hanc
verba Christi per tropum dicta esse. Si enim
E Syllo-

Syllogismum confeceris, propositio omitrens genus prædicationum, quod neq³ proprium, neq³ tropicum est, insufficiens erit ad necessitatem consequentiæ à negatione unius ad affirmationem secundi. Si autem Piscator in hoc genere disputationis aliquid valet, respondeat ad hoc argumentum:

Quod neutrum est ex datis duobus, certum ut habeat & det necesse est.

Sacramentales propositiones; Panis benedictus in sacra cœna est corpus Christi, & vinum in eadem est sanguis Christi, neq³ regulares sunt neq³ tropicæ.

Tertium igitur genus prædicationum necessario præbent.

Tertium appello, cum duorum neutrum sit, nequaquam tamen διχοτομικῶν oppositionis tollens, qua rectè affirmatur, aliud usitatum esse genus, aliud inusitatum. In minoris censura recolligat ea Piscator, quæ supra de modo prædicationis à singularum vocum ratione distinguendo monuimus, & expendat, quod de pane & vino propriè accipiendis inter nos non sit certamen, corporis quoq³ & sanguinis Christi appellationes declaratione Christi & attestatione Cinglii & Bezae τὸ ἔντονον servant & propri-

præmissam significationem. Hoc autem in nulla
tropica enunciatione contingit, nimirum ut neu-
trum extremorum mutet τὸ ἑνὸν. Sicut igitur
constitit, propositiones illas non esse proprias,
ita manifestum est non esse tropicas, quia ha-
rum proprio destituantur. Necessario igitur
quoddam quasi tertium dandum est. Et quia
usitatum fuit illas duas species recensere usitato
more loquendi accommodatas, ideo inusitatas
prædicationes probè dixerimus, quæ illarum re-
gulas excedant. Hic itaq; experiatur Piscator,
quid possit, simul considerans sub quæstione se-
cunda quæ sit vanitas, non cessare ex cumulo
usitatorum troporum aliquem exquirere, qui
mysterio & modo ignoto aptetur. Sic tertia sub
quæstione expendat, quod impossibile sit in co-
pula tropum dari, qui non spargatur in prædi-
catum, cui tamen hoc loco Cinglius & Beza
auctoritate Christi, ut fatentur, convicti pro-
prietatem significati largiuntur. Periculum de-
niq; faciat, num possit huiusmodi enunciationes
modum mysticum & arcanum continentis re-
ducere ad regulares, quod proprium nulli tropi-
cæ quæ artifices constituerunt denegatum fuit.
Ac nisi Piscator hæc removerit obstacula quæ
ne quidem movere potuit Beza, nihil profectò
contra nos proficiet contendendo. Sed perga-
mus.

Tandem Piscator ingenuitatem & fidem
simulaturus adversantium quandam refuta-
tionem instituit, ea tamen arte, ut demonstra-
tis præteritis unum ex probabilibus excerpit,
neq; tamen istud ea qua decet fide. Non enim
negamus, in testamento posse esse tropos, Scimus
etiam testamenta prophetica digna etiam pro-
phético schemate & velamine. Vocem autem
testamenti hoc potissimum pondere libramus,
quando eam opponimus adversario, primum ne
quid temerè in eo mutare tentemus, Secundo,
ut testamentum hoc Christi ab iis, quæ futuro-
rum vaticinia condant, discernamus, cum præ-
sens bonum leget & donet, Tertio, in testamen-
to hoc Christi illa ipsa pars, in qua præsens le-
gatum nominatur, omninò probabiliter à tro-
po libera statuitur, ne testator studiosè heredibus
litem legasse putetur, Quarto, etsi quæ jam
indicavi non ita sine mente à nobis dicuntur,
quemadmodum adversarii nostri in ignomini-
am nostrarum confessionum ea allegant, tamen
palàm profiteor, me istis iudiciis controversiam
tantam non commissurum fuisse, nisi Christus
disertam declarationem adjecisset de corpore
suo pro nobis tradito, deq; suo sanguine pro no-
bis effuso. Hoc verò validissimum negligere,
& cætera persequi velle, non est ejus, qui ve-
ritas

nitatem sincerè scrutetur. Insuper istud maxi-
mè infame est, tenuiora momenta exagitare,
nectamen ipsa in nervis impetere velle, sed va-
niora comminisci, & sic cum larvis suis pu-
gnando bellum trahere cum ingenti malo Ec-
clesiæ Christi, de quo sciat Piscator, aliquando
Deo rationem esse reddendam.

De *Metonymia*, quæ hîc inspergit, ea re-
current in quæstione secunda, quo responsum
nostrum reservamus. Hoc tamen non dissi-
mulandum hoc loco, Piscatorem importunum
& ineptum esse interpretem, qui de textu sacro
non intellecto, & præterea peritioribus suarum
partium inconsultis iudicet. Locus enim Gene-
48. Johan. 4. explicatur de agro Sichimitico,
quem Jacob donavit filio Joseph. Hic quomodo
per Simeonem & Levi armis vastatus ipsis ho-
mucidis possessionem fugientibus Jacobo jure
cesserit, ut ita Jacob historicè acceperit, illum
debuisse Piscator deliberare cum Calvino, qui
etiam disertè inquit, prolepsin hoc loco de futura
nimirum acquisitione esse nonnihil coactam.
Porro etiam attendatur Piscatorem valdè je-
junum esse Theologum, qui præter corticem
nihil velit degustare ex bonis Theologis, cum
dicit, Accepi, ait Piscator, non certè loquitur
propriè, sed metonymicè pro eo, quod propriè

dicendum fuisset, Quam posteri mei ex te & duobus filiis tuis oriundi suo tempore vi armata accepturi atq; occupaturi sunt. Hic moneo doctorem verbis Christi, Mar. 12. Nonne propterea erras, quod nescias scripturas neq; potentiam Dei? Rectè sanè corporalis illa occupatio negatur Jacobo, quæ posteris ejus obtrigit, Interim tamen quod planè non acceperit ipse terram istam dici nequit, sed potius recipienda est sententia epistolæ ad Hebræos, quæ dum negat Patriarchas adeptos promissa credentes tamen amplexos esse dicit, quemadmodum ipse Beza αὐτοπαρωσ interpretatur. Hic verò nolo esse prolixus, cum manifestum sit acceptionem ipsi esse Jacobo tribuendam, quemadmodum fides est ὑπόστασις ἐλπίζουσαν, hoc est, quæ facit, ut extent, quæ sperentur, quemadmodum vertit Beza. Certè cum de Abrahamo Christus inquit: Gestivit ille videre diem meum, & vidit, & gavisus est, hic prolepsis aut anticipatio futurorum non est statuenda, ut visio præsens derogetur Abrahamæ, qui disertè dicitur se vidisse. Sic igitur etiam verbum Accepit competit & Jacobo, itaq; Metonymia textui injuria fuerit, si tanquam sufficiens & contra illam spirituales acceptionem allegetur, id quod in figurarum & troporum sacra scriptura indica-

dica-

dicatione meminisse utile erit, cum pleriq; tropi
extrema sensus lambant, medullam autem di-
storum raro degustent, & hoc inprimis animad-
vertit D. Camerarius, & monuit de eodem di-
ligenter in notatione figurarum in novo testa-
mento. Quod ignorare, & tamen precepta per-
contationis in hac arte, imò & capturae felici-
tatem jactare, Piscatoris est minimè laudandi.

DE SECUNDA QUAESTIONE.

Quisnam ille sit tropus ?

CUM defecerit Piscator in demonstratione
hujus, quod tropus sit in verbis Christi, fru-
stra nunc querit, Quisnam tropus sit, temerè
tamen affirmantem jure redarguemus. Statuit
autem Metonymiam subjecti, quam appellatio-
nem ex P. Ramo accepit. Definitionem verò
ejusdem corrupit. Sic enim Ramus: Metony-
mia subjecti est, cum nomen proprium rei sub-
jectae ad significandam rem adjunctam tradu-
citur, ut cum ponitur continens pro re conten-
ta. In qua definitione observetur, qua necessita-
te dicatur, Unum poni pro altero, Quia ni-
mirum tropus est elocutio, qua verbum à
nativa significatione, in aliam mutatur.

E 4 Uiq;

Utq; nemo eruditorum, qui unquam vixere & in hoc genere doctrinae sese probarunt artifices tropum hunc dixit esse ejusmodi, quo unum de altero dicitur, Ita Piscator dum definit Metonymiam subjecti, qua subjectum de adjuncto dicitur, talem tropi speciem comminiscitur, quae genus tropi non recipiat. An vero hic non est pudendus error in publico Magistro artis hujus, cum species definitur abolito vero genere & supposito diverso. Cogitetur etiam quanto discrimine distent singularum vocum significata & enunciationum modi. Haec igitur permutare quae eadem, aut magnae est ruditatis, aut probrosioris fallaciae, & tamen hic homo sibi sumit auctoritatem corrigendi Magnificat, ut dicitur, imo de manifesta palpabilis erroris turpitudine confidenter scribit: Hoc quis non contentiosus facile concedit. Nescio profecto, utrum illi tribuam, frigidam ne mentem, an vero inertem: alterum certe ut sit necesse est. Concedunt, inquit, illi ipsi, qui tropum hic admittere nolunt, panem esse symbolum seu signum corporis Christi, unde firmum syllogismum, ut gloriatur, conficit hunc:

Quoties res signata de signo, nempe subjectum de adjuncto dicitur, tropus Metonymiae est.

At

At in verbis Domini, **HOC EST**
CORPUS MEUM, res signata
de signo, nempe corpus Christi
de pane dicitur.

Ergo in verbis illis Domini tropus
Metonymiæ est.

R. Nego majorem & repeto ea quibus er-
rorem Piscatoris jam tum evici. Metonymia
enim novo figmento & contra naturam tropi,
qui in una dictione statuitur, itaq; cum turpi no-
ta ruditatis in puerilibus definitur, quod sit,
cum res signata de signo dicitur. Verior autem
definitio est, cum res signata pro signo poni-
tur. Deinde quoad minorem, revoco auditorem
nostrum ad superiorem commonefactionem,
nempe Piscatorem esse Theologum talem, qui
extima saltem carpant: non verò in intima pe-
netret doctrinæ Christianæ, quæ ad ipsam rem
propius spectent. Fateor quod duabus rebus
unitis res, quæ videtur, sit invisibilis rei sym-
bolum, itaq; recipio panem sacræ Cœnæ esse si-
gnum corporis Christi. Quod autem illa sym-
bolica ratio genuinum primarium sensum hu-
jus enunciationis exprimat, sitq; unionis rerum
forma, hoc per nego. Visibile corpus Christi The-
odoretus facit symbolum deitatis personaliter
inhabitantis, quia Paulus scripsit, Deum esse

E 5 manu

manifestatum in carne, 1. Timoth. 3. Num igitur Metonymia est cum dico, Verbum caro factum est, vel, Deus est homo? Manifestum profecto est symbolicam illam rationem non pertingere ad rem, quæ in locutionibus istis penitus continetur & fidei Christianæ potissimum suggeritur, cumq; nobis res sit de unione sacramentali panis & corporis Christi in sacra cœna, ad quam conformetur oratio Christi, liquet Piscatorem à vero momento questionis digredi ad alienum. Nec mirum est hominem istum tam procul abesse à nostra doctrina, cū à Calviniano dogmate, cui suas suppetias pollicitus est, peregrinetur. Orthodoxus enim consensus pag. 157. explicaturus, cur Christus non dixerit, hoc est signum corporis mei, sic statuit. Nam talis locutio non est Sacramentalis & mystica, sed propria, cujus vulgari & literalis sensu nulla rei signatæ promissio, nec virtus aut ἐνέργεια mysterii inest & continetur, sed simplex & nuda solum rei signatæ adumbratio. At verò quia Christus sacra illa mysteria non tantum ad rerum spiritualium & divinarum significationem, sed ipsarum communicationem instituta & tradita esse voluit, ideo non dixit, hoc est signum corporis mei, seu hoc significat corpus meum, sed planè, hoc est corpus meum, ut hac mystica locutionis forma quasi promissione gratiæ sacramentorum

virtutem & efficaciam ex ipso usu & fine institutionis suae in arcana & spirituali rerum cum signis dispensatione tantò exprimeret significantius. Haec ille consensus, à quo dissentiens Piscator, dum vim verborum Christi hac phrasi contineri contendit, panis est symbolum corporis Christi, tam suorum fratrum quàm noster est adversarius. De his verò ideo monemus, ut intelligatur, quid obtineat Piscator, si metonymiam ejus generis, quod tamen contra omnē eruditionē commentus est, impetret nimirū figuratā esse locutionem juxta modum quendam generalē & explicabilem, qui tamen procul adhuc absit à modo singulari, quò panis primariò sit corpus Christi cuiq; ignoto figurā notam & explicabilem non nisi absq; mente accommodabis, in primis verò iste modus tropum planè respuit, cum in praedicatione nullius partis ἑνὸν mutetur. Sic Lutherus, Philippus & alii ad praesentiā corporis Christi cum pane respicientes, itaq; propius ad mentem Christi accedentes synecdochen receperunt, quatenus comprehensio utriusq; quae Etymo synecdoches ingeritur, intelligitur generaliter, cum panis sit unitus cum corpore
CHRISTI. Eo usque igitur à figura abstinerunt, & in primis tropum repudiarunt, cum neq; in subjecto, neque in predicato collocari

queat

queat, & tamen nullus tropus invadat prædicandi modum, nisi sit in prædicationis parte. Etsi etiam Beza videns Metonymiam suam in eo laborare, quod ad Sacramentalem rationem non pertingat aut deducat, eam cum Aetario producit & Sacramentalem appellat, nihil tamen in præcipuo momento disputationis de tropo adversus nos proficit, neq; se ita expedit, sed potius, quod hæreat, agnoscit, & dum Sacramentalem Metonymiam fingit, ipsam Metonymiam deficere & aliquid amplius, quod Metonymiæ appellatione non veniat, desiderari fatetur, idq; tale quod in voce corporis τὸ πρῶτον non mutet, ejusq; non omnimodam absentiam, sed quandam præsentiam largiatur. Quod ipsum, quomodo per Metonymiam constet, explicare debuit, sed huc usq; nequivit, ideoq; epitheton adjecit, de quo troporum magistri nullibi quicquam tradidère. Contra autem Piscator putavit illa concessa planè tollenda & præter significandi rationem nihil admittendum. In ista verò opinione, quod corpus tanquam res signata prædicetur de pane tanquam de signo, ita delitescendum esse, ut hac totam naturam sacramenti expleri, itaq; controversarum locutionum intimam mentem enucleari putemus, quod quale sit æstimetur commissio

missio Piscatore, cum Calvino & Beza, Et
præterea expendatur, quod ne sic quidem in
questione de tropo coram peritis explicetur Pi-
scator, quin semper alicubi hæreat & dum vio-
lenter sese explicare cupit, ipsam etiam Philo-
sophicam eruditionem violare deprehendatur,
id quod in falso dicti firmi syllogismi hujusq;
propositionis examine apparuit.

Videamus nunc alterum quoq; argumen-
tum:

Qua ratione circumcisio dicitur fœ-
dus Jehovæ, itemq; agnus pasca-
lis dicitur esse transitus Jehovæ;
eadem ratione panis sacrae coenæ
dicitur esse corpus Christi cruci-
fixum.

Nam de similibus idem iudicium est.

Sacramenta autem sunt res inter
se similes, quippe cum eorum u-
nus idemq; sit finis, nempe obfi-
gnare fidelibus promissionem
gratiæ D E I.

Atqui in duobus istis prioribus enun-
ciatis est Metonymia.

Ergo & in enunciato proposito.

De propositione Piscatori laborandum, &
ex verbo D E I necesse est ut ea demonstretur
pri-

primum. Quod enim in institutione sacrae cœnæ non expresse traditum est à Christo, aliunde & quidem nullo Euangelista vel Apostolo auctore eo traductum, fidem haud meretur apud eos, qui in dogmatibus Christianæ religionis norunt, nihil sine certo Dei verbo recipiendum. Ubi verò in sacris legimus, quod qua ratione circumcisio dicitur fœdus & agnus transitus, eadem ratione panis sacrae cœnæ dicatur esse corpus Christi.

Hic igitur conto prius utator Piscator.

Quod ad probationem, De similibus idem est iudicium, respondeo, veram esse regulam, si iudicium hoc circa explorata similia versetur, & ad dissimilia non extendatur. Hic verò & similitudinis λόγος certus non docetur, & iudicium à dissimilibus non abstinet. Sacramenta sunt res inter se similes scilicet quoad genus Sacramentorum, quod tamen ipsum liberalius largimur, quàm ab adversariis ex verbo Dei demonstrari possit. Nego autem Sacramenta similia, quoad propria singulorum. Proprium autem sacrae cœnæ his locutionibus continetur, Panis benedictus est corpus Christi accipienti & vescenti, & vinum benedictum est sanguis Christi accipienti & bibenti. Nō igitur hoc ipso assimilabitur aliis speciebus, à quibus suo proprio

prio discernendum est Sacramentum hoc. Neque
singularium confusionem praestat, quod unus sit
omnibus finis, nempe obsignatio promissionis
graciae, cum distinctorum ad unum finem possit
esse directio. Utile etiam fuerit considerare,
quod circumcisio inde non constituatur Sacra-
mentum, quia dicatur foedus. Cum enim ad ver-
sarius per illud hoc dici velit, circumcisionem
esse signum foederis seu foedus obsignare, effectum
circumcisionis indicatur, unde certe non est
constitutio Sacramenti, nisi effectum pariat su-
am causam. Cum igitur ista locutione quidem
circumcisionem faciat Sacramentum, quomodo
eadem erit regula probandi constitutionem Sa-
cramenti alterius, & sic etiam sacrae Coenae?
Si autem foederis signationem finem dixeris &
usum, eodem res recidet, cum usu Sacramento-
rum ad integritatem eorum non faciat, nisi ex
fine tanquam relationis termino & hoc saltem re-
spectu Sacramentum definieris, quomodo circum-
cisio multis circumcisis non fuit Sacramentum,
quia usus signi visibilis ad rem invisibilem signan-
dam infantibus non constitit, si animum infan-
tis sensu externo motum ut adulti probes, neque
signandi illa ratio mente alterius circumcisum
intuentis concepta faciet, ut idem signum,
cum

rum sit alterius id non cogitantis respectu idem-
que Sacramentum fiat huic ex usu alterius, neq;
in mente Dei ista natura Sacramenti constitui
debet, cum iste signandi usus in speculatione
utentis ponatur à Sacramentarius, & ex visi-
bilitate elementi causetur atq; dependeat. Hæc
ut declinent nonnulli, ad mysticum & admi-
randum opus Dei spirituale confugiunt, sed ita
Sacramentum tantum erit in iis, quibus spiri-
tualis ille fructus contingit, in reliquis ejusdem
fructus expertibus eadem ratio cessabit, itaq; &
Sacramenti natura nulla erit, vel suspendetur
ad tempus, sicut fidei capacitatem nulli infan-
tibus derogant, itaq; signaculum fidei in cir-
cumcisione & baptismo infantum (loquor de
ipsa actione, qua circumcisio & baptismus per-
agitur) revera vanum ostendunt, quocunq; eti-
am colore pingant, eademq; opera naturam Sa-
cramenti ad tempus suspensam negabunt, ve-
rum Sacramentum per id tempus moræ, quo-
modo usus ad rei, qua uti debeas, constitutionem
denuo conducitur. De his tritis, quibus se Cal-
viniani turpiter involvunt cogitare utile est,
quoties doctrina sacramentorum ex fine signan-
di fœderis æstimatur, ut insufficientia subinde
docentem impellens in scopulos tollat, aut sal-
tem pudefaciat eruditionis istius admiratione.
Deniq;

Deniq; & hoc moneamus, graviores causas,
quare circumcisio possit dici foedus, omitti à Pi-
scatore, in signandi tantum ratione diserto phi-
losopho. Explicandum enim potissimum est,
quod in circumcissione Deus pactum suum sin-
gulis applicaverit, & in foedus circumcisos illo
actu receperit per circumcisionem etiam opera-
tus sit regenerationem, quae fuit circumcisio
absq; manibus, qualis hodie etiã per baptismum
praestatur, itaq; circumcisio fuerit & φεαγίς &
sigillum fidei actu praesentis. Haec simul consi-
derata iustus Sacramentarios fortiter elidunt.
Posito enim quod panis sacrae Cœnae sit corpus
Christi, quemadmodum circumcisio fuit foedus,
nequaquam inde sequitur, cum pane non præbe-
ri & applicari corpus Christi praesens, sed ex
collatione istarum phrasium ut nulla necessi-
tate tolletur, ita potius probabiliter affirma-
bitur praesentia corporis Christi cum pane, sicuti
cum circumcissione externa praesens fuit ini-
tium & applicatum foedus. Sic de altera phrasi
deliberetur, Agnus paschalis est transitus, Ve-
rè sanè dicitur, agnum paschalem post exitum
ex Ægypto quotannis comedendum fuisse in
memoriam praeteriti beneficii in Ægypto exhi-
biti Israëlitis transitu angeli percussoris. Num
verò in hac memoria praeteritorum tota natura

F Sacra-

Sacramenti delirescat, quæritur? Profectò non
præteriti solum, sed imprimis & quidem cum
hoc signo fæderis præsentis boni memoria & fi-
des commendata fuit, beneficii nimirum miseri-
cordiæ & gratiæ in sanguine Christi per agni
sanguinem figurata promissi, tum etiam oblatis,
& vescantibus in timore Domini verè exhibiti,
symbolum fuit conditum à Deo, sicut in Psal.
m. quem Judæi comedentes agnum paschalem
decantasse dicuntur, præclare scribitur: Me-
moriam fecit mirabilia suorum misericors &
miserator Dominus, Escam dedit timentibus
se, memor erit in seculum testamenti sui. Et
hæc igitur implicanda sunt in symbolicam ra-
tionem agni paschalis, nisi umbram captare,
& rem negligere docueris. His ita observa-
tis etsi nobis restet alia responsio, nullo videli-
cet modo probatum esse aut probari posse, quod
panis & vinum sacre dominicæ Cænæ simili-
ter sit corpus & sanguis Christi, cum sub-
stantiæ Sacramenti ejus usus & fructus discri-
men illustre præbeat institutio, tamen ad con-
fundendum disputatorem argumentum præbe-
tur non leve. Ista enim planè demonstrant ra-
tionem non signandi solum, sed etiam offerendi
præsentèq; exhibendi vescantibus ad percipien-
dum, quod signatum est. Quæ ut in signandi
ratio-

ratione non insunt, ita figura quæ ad nudam
signandi naturam componitur, minus sufficit
ad explicationem eorum & quidem, cum per
illam potiora negligantur, figuram istam ut
sufficientem obtrudens, quemadmodum facit
Piscator, palam defraudabit auditores præcio-
sioribus bonis doctrinæ. Id quod de Majore
hactenus dixit, ad Minorem antea responsum
est, quod Metonymiam fingat, quæ erudito-
rum definitionem non recipiat.

Sed anticipemus, quod eodem regressit Pi-
scator pag. 13. Fatetur duo ista loquendi gene-
ra, videlicet unum pro altero poni, & unum
de altero prædicari, nonnihil differre, sed addit
utrumq; eodem sensu usurpari, & alterum ex
altero effici, itaq; putat consequi, ut Metony-
mia utrobq; agnoscat. Vellem autem ex-
plicasse eum differentiam, & quomodo Metro-
nymiam unam & eandem utrobq; statuens in
discrimen non impingeret demonstrasse. Nun-
quam profectò istud efficitur.

In eo enim discernenda sunt genera, quod
alterum de dictionis, alterum de enunciatio-
nis natura loquatur. Quæ quomodo sine confu-
sione distinctorum in unum sensum cogi possint,
gestio videre. Quod enim enuncatio significa-
tum dictionis exprimit, istud nondum largitur

convenientiam, in qua Metonymia identitas
constet, cum omnibus non cacutientibus per-
spicuum sit, quod ratio tropi, quæ est unius pro
altero usurpatio, quæq; Metonymie naturam
tropicam præbet, & ratio enunciationis, quæ
unius de altero prædicatio in eo ipso, quo singula
censentur, non coëant, itaq; sensu eodem ad con-
stitutionem nimirum Metonymia (Hæc enim
intentio spectanda est) non usurpentur. Et ut
magis pateat fraus hominis, explicetur sensus
vel designificato vocis, vel de sententia oratio-
nis. Sit igitur unus sensus, hoc est, significatio
una, quemadmodum in Metonymia sensum ac-
cipi oportet, nonne sic erit idem tropus, si ve to-
gam si ve pacem appelles? Idem enim significa-
tum utrobique. Ac si tropus idem, quæ non eadem
erit proprietas eodem jure? Si autem sensum
dixeris enunciationis mentem, delibera denuo,
an non eadem mens fuerit vocis simplicis, quæ
prædicationis, hoc est, unius dictionis & inte-
græ prædicationis, in fine, cui singula peculiari-
ter dicantur, non erit distinctio, item in regula-
ri explicante tropicam tropus erit semper, cum
unus sensus sit semper. Ex quibus liquet, ab uno
sensu ad eundem tropum admodum vitiosè con-
cludi. Et hæc tamen nugamenta Piscatori pla-
cent, hæcq; post tot labores eruditionis forma
pro-

producitur, in qua fundetur fides Christiana
in mysteriis. Quis verò nisi amens tandem se-
stabitur hæc somnia Sacramentaria, quæ tam
in Philosophia quàm in Theologia homines de-
lirare faciant. Haud absimile est additamen-
tum, quod alterum ex altero efficiatur. Ex
Metonymia sanè efficitur oratio explicans tro-
pum, sed sicut pullus ex ovo natus ovum non
est, ita in oratione explicatoria Metonymicæ
idem tropus ut sit, necesse non est, imò ne qui-
dem alium semper tropum explicando dari oportet.
Quis enim tum esset troporum finis, & quæ
tropicarum locutionum ad regulares reductio,
si quod ex tropo efficitur, tropo infecto mane-
at? Contra, ut ex toga intelligitur pax, quæ
vox suo proprio significato aestimata tropum
nullum habet, ita ex hac oratione figurata, to-
ga est pax, enascitur regularis; Toga signifi-
cat pacem seu est signum pacis, quæ in expli-
catione nullum habet tropum, ne dum eundem.
Neq; solum elumbes illas rationes attulit Pisca-
tor, sed etiam inde valdè ineptè ratiocinatus
est, cum pag. 14. inquit: Etsi igitur nonnihil
differunt duo illi loquendi modi, cum unum pro
altero ponitur, & unum de altero prædicatur:
tamen utriusq; idem sensus est, quatenus in
utroq; idem tropus est. Hic verò principium

petit turpissime. Quæstio enim fuit, num idem
in utroq; tropus sit, id quod affirmare voluit ex
eodem sensu, & tamen sic argutatur, ut prius
posito in utroq; eodem tropo, quod tamen con-
troversum mansit, eundem sensum obtineat,
qui rursus quomodo ad confusionem distincto-
rum conducatur ex supra indicatis æstimatur.
Notetur & hoc, quod in Institutionis sacræ
Cœnæ formula non possit monstrare Metony-
miam, cuius explicatio sit in his locutionibus,
panis est corpus Christi & vinum est sangu-
is Christi. Deficit igitur in origine & basi suæ
explicationis demonstranda. Quod verò ad
hominum phrasas delabitur, istud sine verbo
Dei parum momenti adfert, ac si easdem locu-
tiones ad doctrinam ex institutione certam &
vetustati constantem redegeris, apparebit cor-
pus Christi non tantum pro pane poni, sicut res
signata pro signo appellatur, sed quia corpus
Christi cum pane à Christo promissum est, nec
non præbetur sumentibus, percipitur etiam ab eo,
ut vel Calvinus & Beza fatentur, ideo cor-
pus Christi tangi & labi dixerunt, cum panis
tangitur & labitur, cumq; ista in Metonymia
non insint, nec arguent eam, nec ex ea profe-
rentur, quanquam etiam studiosè abstineo à
verbis si ve actionum si ve pass. onum, quæ in in-
stitu-

stitutione ad actionem usumque non expressè requiruntur: ex patrum tamen phrasibus videre est, quod verba, *Accipite Comedite, Bibite*, quatenus externam actionem significant, à corpore Christi non sequestrari, ut Sacramentarii faciunt. Quod si verò ad corpus Christi pertinent ista externa, necesse est externæ sumptioni ut propriè Sacramentali imprimis præsentiam corporis & sanguinis Christi promitti, & propter præsentiam istam panem esse corpus Christi in externa actione Sacramentali, id quod sensu Calviniano spirituales tantum spirituali sumptione præsentiam largiente tollitur, & revera ad nudam significationem (Inglorianam res redit, quatenus actionem Sacramentalem à fructu distinctam spectas, & in hac vim verborum Christi censes, *Hoc est corpus meum.*

Arrodit etiam hoc loco, quod dixerim, Metaphoricam esse orationem, cum Metonymia sic explicatur, *toga est pax*. Equidem sentiens quid commodi decedat doctrinæ Sacramentariæ, dum ab ipsis propugnatoribus ejus opinionis contra Metaphoram pugnatur, non omninò adversabor hîc Piscatori, sed una cum ipso contende Sacramentales prædicationes non esse Metaphoricas, & sunt mihi tanto graviores

E 4 repro-

reprobationis caussa quàm Calvino, quanto
veriore presentiam corporis & sanguinis
Christi cum symbolis in sacra Coena profiteor.
Quod si autem Cingliana sententia mihi pro-
baretur, ut Piscator non dissimulo, quod ductu
illius opinionis in Metaphoram potius quam in
Metonymiam ferri deberet, & Metaphora
quidem mihi gratior esset, cum huius assertione
quaedam videantur redimi offendicula, quibus
in profanam eruditionem impingitur à defenso-
ribus Metonymiae in hac doctrina turpius. Et-
si verò in Sacramentalibus repudio Metapho-
ram, in hac tamen oratione, toga est pax, eam
agnosco: Rationes, quas opponit Piscator, per
se futiles sunt, Maxime autem evanescent in
Sacramentorum doctrina, cuius tamen gratia
hic de Metaphora rixari voluit. Sensus, in-
quit, est, togam esse pacis insigne, quam Me-
tonymiam esse nemo Rhetorices peritus non
videt. Ego verò vel unum artis istius peritum
mihi dari cupio, qui id cum ratione doceat. Si
enim sensus iste Metonymiam facit, quò hæc ora-
tio à Metonymia liberabitur, Toga est insigne
pacis, quæ tamen est propria, in quam resolu-
ta est tropica, toga est pax? Sciat potius
Piscator, quod signi mentio non simpliciter
Metonymiam faciat, sed tum primum, cum id,
quod

quod signi rationem obrinet, pro re signata po-
nitur, vel contrà. Ergo non tam in sensum,
qui signum vel in signe spectet, quàm in vocabu-
lorum, quæ signorum & signatorum sunt, usum
tropicum, hoc est in nominis pro nomine usur-
pationem est respiciendum. Hoc qui non ob-
servat signorum Metonymiæ terminos egressus
peritiam Rhetorices haud probabit peritis. Neq;
morari debeo, quod Piscator in locutione hac,
Toga est pax non videt similitudinem. Potius
enim hoc statuendum, quod qui in ratione, si-
gnandi non animadvertat similitudinem, pa-
rum diligentiae impenderit huic doctrinae, &
multominus quàm ad rectè cognoscendum in-
dignerit, quod in patrono Sacramentario &
quidem tali, qui sese signiferis præfert, nequa-
quam excusari potest. Hujus enim sectæ
ἀξίωμα & fundamentum præcipuum est simi-
litudo in signorum natura, unde permutatio est
horum vocabulorum, signum, symbolum, ty-
pus, imago, figura, character & similia, utq;
signorum naturam in Sacramentis tanquam
primariam impetrent Calviniani, ideo hac in
similitudinem rerum, quarum Sacramenta di-
cuntur & nomina sortita sunt, accipi contem-
dunt plurimum, cujus ignarum vel immemo-
rem esse patronum ejus dogmatis pudendum

profectò est. Tolle autem similitudinem, & Metonymiæ causam sustuleris. Fasces sunt imperium, quia usum habent in imperio, & cum medium sint, per quod imperium exerceatur, vel terrendo vel puniendo imperii imaginem sustinent & satis promptè præstant: Quia etiam toga sua similitudine pacem ostendit, ideo signum dicitur pacis. Est enim toga vestis ad regendum hominem non in pugna ubi propter longitudinem & laxitatem impedimento potius foret, sed extra belli pericula tantum commoda, ideoq; tempore securitatis usitata singulariter, eoq; peculiari usu pacis insigne & imago. Atq; hinc est identitas significati, quæ ex omnimodo similitudinis negatione non erit, ideoq; nec Metonymia existet, sicut certè Metonymia non est, si ignem appellans pacem intelligi velim. Jam si signi ratio à similitudine qua pacem orta fuit, melius certè intelligatur, signum ad eandem originem revocatum. Quam manifestum igitur est orationem explicantem Metonymiam, qua signum pro re signata ponitur, aptissimè explicari per Metaphoricam, cum Metonymia ex Metaphorica tanquam parente nata sit, nec esse possit, ubi Metaphoræ ratio non concidat. Quando igitur dico, Toga est.

est pax, & orationem appello Metaphori-
cam, intelligor hoc velle, togam propter usum
sui tempore pacis receptum imaginem pacis fa-
ctam, & hac figuracione significationem pa-
cis in se recepisse, Quod certe promptum est
cui vis. Sic si hominem dixerō vulpeculam,
conjugam disparata propter similitudinem. Ne
enim vulpes est astutum animal, ita hominem
propter astutiam vulpem appello, & hinc nemo
non fatetur Metaphoram. Hæc verò similitu-
do causa fuit pictoribus, ut quadragenario
vulpeculam tanquam insigne ejus ætatis ad
astutiam aptæ & propensæ adderent. Siquis
igitur signum illud quadragenariū ponens qua-
dragenarium intelligeret, hoc modo Metony-
miam usurpabit.

Interpres autem dicens: *Vulpecula est*
homo quadragenarius, ad Metaphoram redi-
ret, cujus similitudine & convenientia ad ori-
ginem usus Metonymici digitum intendere
debet. Qua etiam explicata sensum dexterius
exprimere poterit. Et hoc quidem indicare
volui, ut cum Piscator signi mentione simili-
tudinem eludat quo signum & simile non con-
stent simul, ex aduerso cogitetur, quod omnis
signandi ratio dependeat ex unius ad alterum

con-

convenientia, & quadam assimilatione, neq; sit
signum, quod similitudinem nullam recipiat.
Ac sicut prius imaginis seu similitudinis ratio-
nem nosse oportet, quam signum sit, quod ordi-
natione hominum propter quandam ἀναλογίαν
& similitudinem constituitur, ita consideretur,
annon metaphoræ causa prior existet, quàm
Metonymiæ, præsertim si eodem jure metapho-
ram ex similitudine æstimaveris, sicut Piscator
Metonymiam ex signo. Etsi verò in aliis ma-
gis commoda est similitudo, in aliis minus, un-
de non est adeò promptum & planum dicere,
toga est similis paci, quemadmodum dicitur,
Herodes est similis vulpi: Tamen ex eo, quod
haud commodè dicam, Toga est similis paci, non
sequitur metaphoræ negatio, cū aliàs similitudo
quæ index est metaphoræ, quemadmodum signi
ratio metonymiæ, non possit negari, & à Sacra-
mentariis præcipuis magno consensu in natura
signorum flagitetur adeò necessarium, ut sacra-
menta illi non agnoscant Sacramenta seu sacra
signa nisi earum rerum similitudinem asserant,
quarum Sacramenta seu signa nominentur. Si
verò quid accuratè & exquisitè tradatur, di-
gnosendum erit. Equidem de hac explicatione
nostra exactam Rhetorices peritiam, ad quam
Piscator imprudenter provocat, non audeo ad-
voca-

vocare iudicem, sed quia usus sum iure Piscato-
ris, qui ubi signi sensum reperit, Metonymiam
statuit, ideo licuit mihi & Metaphoram tueri,
ubi similitudinis sensus habetur. Neuter ta-
men explicando se ad naturam tropicam proxi-
mè accommodavit. Rhetor enim in voce toga
metonymiam statuens, per istam vult intelligi
pacem, non verò signum pacis. Nam cum di-
citur, Cedant arma togæ, inepta est hæc inter-
pretatio, Cedant arma signo pacis. Simplicissi-
mè autem pro pace toga ponitur, si Rhetoris
præceptum de metonymia proximè consuetari
volueris. Cum verò queritur, quare toga pro
pace accipiatur, tum respondetur, quia est si-
gnum pacis, idq; non est de natura Metonymiæ,
quatenus hæc ut tropus consideratur, sed cau-
sam indicat antecedentem, quare illa vox Me-
tonymiam recipere potuerit. Sic cum Hero-
des dicitur vulpes, ut mutatio significationis
tropica seruetur, planissimè dico vulpem poni
pro astutia, & quia accidentia de subjecto præ-
dicantur paranymicòs, proprius ejus oratio-
nis sensus hic erit, Herodes est astutus. Si verò
ratio petitur, quare vulpes pro astutia ponatur,
patet, quod sit animal astutum. Si rogatur cur
Herodi aptetur, respondetur, Quia Herodes
astutia vulpi assimilatur. Ex quibus exemplis
cogno-

recognoscitur explicaciones vulgares sive Meta-
phora sive Metonymiae ad naturam troporum
quàm proximè non accedere, etsi Rhetoricis
exacta censura adhibenda foret, utriq; plagas
paratas esse. Hoc verò propterea consideran-
dum est, ne ex illis remotioribus, ubi magis vel
minus prompta apparent, troporum natura
statim affirmetur vel negetur. Et quia com-
munes Rhetorum traditiones censuram exquisi-
tã artificis fugiunt, vel non ferunt in collatione
dictorũ cũ præceptis illis candor adhibendus est,
non rigor, quo is demũ urgendus est, qui à com-
munibus præceptis temerè discedit, & quæ verã
sunt pervertit potius quã emendat sicut Pesca-
tor verã metonymiae definitionẽ mutavit, & ex
hac tropi naturã sustulit. Quo etiã adolescentes
æquiores reddantur iis, qui sine dolo & æquã
& nimiam subtilitatem negligunt, & mediocri
veritatis declaratione contenti sunt, considere-
tur, quod rixarum finis nullus futurus sit, si
vel diligentissimi Rhetoris exile præceptum ad
incudem subtilioris probationis revocetur ma-
ximè in troporum genere quod certè minus ex-
cultum est. ut vel huius quaestionis de togæ exa-
mine proditur, ubi Grammaticus, Dialecticus
& Rhetor invenit, quæ sibi poscunt singuli, In
communibus præceptis autem explicatione &
appli-

applicatione accuratè non discreta. Etsi verò
meum non est descendere in arenam istorū ar-
tificum, & certamina de herciscunda familia
dijudicare, neq; ferunt mei labores ordinarii, ut
hic sim curiosior, quæ tamen eminus conspicio ad
controversiam inter Piscatorem & me compo-
nendam conducentia, ea pace doctiorum etiam
crassiore minerva proponere licebit. Gramma-
ticus hanc orationem, cedant arma togæ, inter-
pretaturus, hanc æquipollentem subjicit, Bellū
cedat paci, vel si dixeris, Toga præstat armis,
Grammaticus de sensu respondens dicet, Pax
præstat bello. Neq; hætenus iste Rhetorem agit,
dum sua tractat. Hac igitur inventione sui stu-
dii si dixerit, Toga est pax, sicut aliàs inquit,
Ensis est gladius, præbebit Dialectico prædica-
tionem qui juxta intentionem identitatis signi-
ficati utrobique identicam prædicationem cense-
bit. Grammaticus enim hic nondum de tropo
quicquam, qui etiam à tenaci Rhetore ipsi non
permittitur mancipio. Cum autem præter vo-
cabulorum significatum deflexio à propria si-
gnificatione in aliam spectatur, & huc accom-
modatur oratio, Toga est pax, tum non spe-
ctatur tantum Grammatica illa synonymia, sed
quod hæc per tropum confecta sit, illud præcipue
estimatur. Jam si modum tropicum feceris,
mo-

modum attributionis, non repugnabo, quia attributionis modum convenire habitudini prædicati ad subjectum secundum rem intellectam æquissimum est, & hoc quidem jure etiam videtur æquum, ut modus Metonymicus admittatur. Sed attende quid obstat. Id quod tropum justinebat in Metonymia (toga nimirum) in hac oratione, Toga est pax, propriè accipitur, & significat vestem Romanam, quomodo Metonymia, quæ in ista dictione erat, cessit, & vobulum restitutum primariæ significationi recipit prædicatum, ea habitudine, qua ad Metonymiam deventum fuerat, ut toga sit pax, modo imaginis & similitudinis, unde Metonymiæ usus Rhetori excidit, & modus iste ideo commodius dicitur Metaphoricus quam Metonymicus, cum Metaphora tam verborum quam nominum sit, Metonymia autem tantum nominum. Modus igitur metaphoricus copulæ & prædicato communis esse potest, modus metonymicus haud item. Non enim potest dari Metonymia in copula, quemadmodum metaphora ei competit, conjunctim tamen cum prædicato, de quo tertio loco secundum ordinem Piscatoris quaeretur. His itaq; ostendere possum, quod Dialecticus prædicationes censens ad sensum loquentis attendat, itaq; se ut servum omnibus accom-

accommodet, maximè verò cum sua sarta &
recta conservare studeat, etiam cavet ne cui in-
jurius sit, hoc est, ne Rhetoris vel alterius
præcepta polypragmonicè violet. Quod ut in-
telligatur, quò nimirum hoc loco tendat, ex-
emplo planius faciam. Si Dialecticus tropicam
appellat locutionem hanc, toga est pax, mo-
dum tropicum in attributione contineri statuit,
eumq; accersitis præceptis Rhetoris explicari
permittit, suas tamen leges salvas paciscendo.
Licet autem Rhetor togam pro pace ponens
metonymia utitur, tamen quia hæc non residet
in verbis, sed tantum in nominibus, ideo non
potest commigrare in copulam, quæ non seor-
sim, sed cum prædicato attributionis modum
sustinet. Hac de causa Dialecticus Rhetori
suam Metonymiam offerenti prædicationis
modo sese opponit, & sic pro se loquitur: mu-
tuas sanè operas amicè trademus Rhetor sed
nolo, ut mihi intervertas mea propria temera-
ria Metonymie obtrusione. Omnino enim si
eam recipere cogar, ut tibi nihil decedat, fiet ut
quæ ego de attributionis jure constitui, destru-
antur. Nam quemadmodum Metonymia in una
dictione delitescit tantum, ita attributionis po-
mæria coarctabit, si ea occupare debuerit. Sic
enim in prædicato tantum & præcidetur copu-
la sua

G

la sua

la sua communio cum prædicato, vel sit in co-
pulatantum & cessabit verbum E S T copulæ
officio fungi, cum citra rationem copulæ attri-
butionis modus ipsi imponatur, quem seorsim
sustinere cogitur. Ac ne putes me potius de
præceptis meis cedere oportere quàm te, age,
Rhetoras alios adeamus, qui hanc controver-
siam dirimant. Quid verò isti veritatem aman-
tes? Profectò hoc pronuntiabunt omnes in ar-
te ista probati arbitri, sibi à pseudorhetore im-
putari id cuius culpam sustinere nolint: Me-
tonymiam enim non esse, nisi in una diétione,
& quidem à verbis planè alienam. Si igitur
modum attributionis dialecticum invadere de-
beat, quemadmodum cogitur à pseudorhetore,
decernetur oportere eam naturam suam exuere
& perdere civitatem Rhetoris. Hæc profectò
ita inter Dialecticum & Rhetorem hîc com-
mutari oportet, si jure expediri velit. Ne verò
lis sit inter Dialecticum & Rhetorem, & ho-
rum artes, quæ hætenus amicè in hoc negotio
convenerunt, seq. mutuo amplexu foverunt,
dissidio isto conficiantur, Piscatorem hac in
parte pro pseudorethore declarari necesse est,
de qua re monere tantum volui: Aliis verò
quibus vacat, & cum artibus istis familiarior
notitia intercedit, accuratiorem explicationem
defe-

defero. In hoc tamen non vertitur cardo con-
troversiae, sed quod tropum quemcunq, notum
respuat modus attributionis ignotus, nec sedem
tropo relinquat explicatio Christi praedicatum
ab eo liberum pronuncians teste etiam Cinglio
& Beza. Ad haec igitur imprimis Piscato-
rem intentum esse velim.

Redeo nunc ad paginam octavam à qua di-
gressus sum. Id verò quod dixerat de proposi-
tione hac; Panis est corpus Christi, jam singu-
lariter demonstrare laborat in altera; Vinum
est sanguis Christi, sed quae fortiora afferat
argumenta, non video. Quae de particula de-
monstrativa τὸ ad poculum seu vinum refe-
renda differit, facile accipio. Istud verò præ-
torio modo postulatum potius, quàm actoris
more probatum est, quod ait pag. 10. Sicut
DOMINVS in verbis Sacramentalibus do-
cere voluit, sacrum illum panem, & sacrum
istud vinum esse testimonia, quibus ipse di-
scipulis ac omninò fidelibus omnibus testetur,
corpus suum pro ipsis crucifixum, & sangui-
nem suum effusum iri, ita verba Apostoli, pri-
mo Corinthiorum decimo: Quibus panis &
poculum dicuntur esse *κοινωνία* corporis & san-
guinis CHRISTI, idem docent quod sym-
bola illa sint infallibilia divina testimonia.

communione, quam fideles inter se habent in corpore & sanguine Christi. Equidem ut in oratione Christi plus & majus quid inesse vicini, Ita comparationem in hac tenuiore parte institutam ad explicationem mentis apostolicæ sufficere, jure nego. Rejicio etiam, quod pro fidelibus saltem Christum crucifixum esse opinatur. Quia hic abominandus error est omnium & singulorum fidem incertam faciens, cum hæc ex puris particularibus concludens non possit esse λογισμὸν, hoc est, quæ certò sequentem conclusionem extruat. Et palam Piscatori contradicit Paulus dum Roma. 14. & 1. Cor. 8. Christum affirmat pro pereuntibus mortuum, in judicio etiam divino damnante homines propter incredulitatem graviter arguitur à damnatis etiam flagitatam fidem in Christum. Quæ autem temere exigeretur, nisi iisdem Christus propositus fuisset salvator, non extra passionem & mortem, sed in hac & per hanc salvator promissus est datus, neq; fides salvans nisi in promissionem illam recumbens unquam rectè definiatur. Sed de his prolixius alibi. Hoc tamen pro re nata nunc etiam proponere libet, Quomodo constare poterit ultimum Calvinii effugium de indignis, cum his ait offerri quidem corpus & sanguinem Christi in sacra Cœna, sed
ab

ab ipsis respui. Quomodo verò his offeretur,
quod ad illos nullo modo dicitur pertinere: an-
non cum Piscator symbola fidelibus tantum
vult testimonia esse divina, cessabit testimoniis
istius ratio, ubi infideles accesserint, itaq; Sacra-
menti natura coram infidelibus evanescet, cum
in testificatione illa ad fideles tantum instituta
Sacramentum constituat Piscator? & quò Sa-
cramentum integrum pendeat à divina ordi-
natione, si fide sumentis non adhibita Sacra-
mentum sua anima destituetur? Certè ne qui-
dem generalis signandi ratio manebit, si ad fide-
les tantum dictum est, Hoc est corpus meum,
quod pro vobis traditur. Atq; sic ne respuendo
quidem indigni futuri sunt rei corporis & san-
guinis Domini. Qua etiam conscientia mini-
ster porrigens panem & vinum, cum inter su-
mentes discernere nequeat, fideles ne sint, an in-
fideles, promiscuè ad omnes dicet, Accipite,
Comedite, hoc est corpus Christi pro vobis tra-
ditum: Bibite, hoc est sanguis Christi pro vo-
bis in remissionem peccatorum effusus? Sicut
enim promissionem justificationis & salvatio-
nis nemini licet applicare, nisi præmissa condi-
tione fidei, ita constante opinione Piscatoris
minister in porrectione symboli nulli rectè ac-
commodabit verba Domini sine conditione fi-

dei. Quàm verò oscitantem hic fuisse oportet
Christum in institutionis formula, ut qui ma-
ximè necessariam clausulam omiserit (si Cal-
vinianis creditur) verùm ne Apostolus hanc
injuriam inferret Christo, inquit: Indignos (hoc
est infideles, De damnatis enim loquitur) da-
mnationem sibi ipsis edere & bibere, quia non
discernant corpus Domini. Auctor igitur te-
stamenti hujus orationem hanc. Hoc est cor-
pus meum, quod pro vobis traditur, non di-
screvit ratione dignorum, quibus sit, quod di-
citur, & ratione indignorum; quibus idem non
sit, sed cum Apostolus dicat, indignos non di-
scernere corpus Christi, necesse est, panem sa-
cræ Cœnæ tam indignis quàm dignis corpus
Christi esse, & sic de iis quoq;, qui damna-
tionem sibi edunt & bibunt, Christus docere vo-
luit, quod corpus suum pro ipsis sit traditum.
Deniq;, cum indigni, ut quibus ipsis etiam panis
benedictus sit corpus & vinum sanguis Christi,
idem percipiant Sacramentum, refellitur in-
terpretatio novæ vias de communionem spiritua-
li, ita hinc asserta quasi Sacramenti hujus natu-
ram præstaret, Christiq;, verbis, hoc est corpus
meum primaria Sacramenti ratione indicare-
tur. Hoc enim Apostolus distinctione sumenti-
um ut commune, ita etiam ne de natura Sacra-
men-

menti esse negat. Potius autem indignorum ratio cogit $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ quandam, quæ etiam ipsis competat, accipiendam esse, & quidem Sacramentalem verbis Christi respondentem. Ex eo enim quod panis distribuitur & communicatur, Paulus de $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ corporis Christi docet. Sicut igitur panis est corpus Christi unione Sacramentali, ita propter illam unionem $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ unius necesse est esse $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ alterius. $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ autem panis istius à Christo describitur his verbis: Accipite, Comedite. De sententia igitur Christi participantem de Cœna communicabunt & corpori Christi, & $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ corporis Christi Sacramentalis distributione ejus corporis cum pane, eaq; fidelibus & infidelibus communi definienda est. Postea spiritualis $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$, quæ est unio cum corpore Christi mystica & admiranda accedit ut fructus fidei, quæ ad illam Sacramentalem $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ affertur à quibusdam, ideoq; spirituales communionem pro natura Sacramenti, quod commune est dignis & indignis, accipi non permittit. Etsi verò corpus Christi non teritur dentibus, nec laceratur ut panis, sicut tamen cum pane unitur Sacramentaliter, hoc est, mystico & arcano modo, ita in & cum orali panis manducatione, mysticus & inexplicabilis

modus fuerit, quo corpus simul percipiatur, atq;
ideo in manducatione orali istud simul fieri sta-
tuitur, quia Christus dixit Panem, qui ore
sumitur, esse corpus suum per modum quendam
conjunctionis. ex qua simultaneus ille actus
perceptionis utriusq; consequatur, nimirum ex
Sacramentali unione, ut orthodoxi locuti &
Sacramentarii, Anno 36. cum Dn. Luthero
concordantes verum confessi sunt.

Quod attinet ad locutionem, Poculum est
novum testamentum in sanguine Christi, Pi-
scator sensum revocat ad testimonii tantum ra-
tionem, cum tamen in umbratili sanguine Chri-
sti non sit foedus novum, sed in vero & pro-
prio, & quia poculum dicitur foedus novum
propter sanguinem Christi, ideo poculum non
vinum solum sanguinem significans continet,
sed vinum, quod est proprius sanguis Christi,
sicuti columba super Christum à Johanne visa
erat Spiritus sanctus, teste etiam Calvino vi-
veritatis ad consensum hactenus adacto Hujus
autem explicationem Dn. Melancthon talem
præbuit: Cum illa re visibili verè aderat Spiri-
tus sanctus. Et similem esse sententiam in Sa-
cramentalibus, præcipui adversarii eo ipso ar-
guunt, quo præsentiam corporis & sanguinis
Christi in Cæna negare non audent, sed largiun-
tur,

tur, ut necessariò docendam. Quia igitur cum
vino illo verè adest Sanguis Christi, poculo vi-
num istud continenti tribuitur fœderis appella-
tio, quod in sanguine illo porrigitur. Piscator
igitur nuda testificatione non assequitur sensum
verborum Christi, sed id, quod potissimum cre-
dendum est, negligit. Intentionem etiam su-
am, quam Metonymiam urgendo unice spe-
ctat, hinc eludit ipse. Poculum enim pro vino
positum Metonymiam agnoscit, ut & nos. Est
autem continentis pro contento. Metonymia
igitur licet sua natura & necessariò non præbeat
rerum conjunctionem realem, eandem tamen
non respuit, ut probat exemplum præsens.
Frustra igitur Piscator Metonymiam obtru-
dit ut præsentiam corporis Christi cum pane
realem tollat, sed quamvis illi Metonymiam
concederemus, nihilominus in jus vocari posset,
quod nobis invideret id, quod Metonymia
sua natura non fastidiret. Si dixerit, In Sa-
cramentalibus istis locutionibus non esse Me-
tonymiam continentis & contenti, sed signi &
signati, respondeat nobis, qua necessitate illa
sic separet, ut simul nunquam concedat. Hoc
enim statui oportet, si bona consequentia, quod
cupit obtinere, concludere velit. Annon pocu-
lum poterit esse signum potus, annon propicia-

torium Mosaicum ita fuit signum Christi my-
stica significatione, ut tamen veré & realiter
ibi habitaverit Dominus? Orthodoxus certè
consensus hoc fatetur pag. 160. Rubus ardens
Exod. 3. erat signum Jehovæ, & hic erat signum
Jehovæ, & hic erat in corde, hoc est, in medio
ignis ejus teste Spiritu sancto sic ibi loquente.
Si igitur continens & contentum, signi & signa-
ti rationem recipere possunt, & tum maxime,
quando visibile & invisibile uniantur, qua ob-
secro necessitate constabit hoc loco negatio con-
tinentis & contenti? non leve profectò argu-
mentum contra se nobis suppeditavit Beza
confitens realem & Sacramentalem presenti-
am non perpetuò esse repugnantes in 2. part.
questionum quæst 50. A presentia igitur Sa-
cramentali ad negationem presentie realis,
quæ consequentia? Nec est necesse ut conti-
nentis & contenti modus unus sit ubiq, sed ut
Deus in rubo erat suo modo, anima in corpore,
est alio modo, corpus etiam Christi penetrabat
fores clausas mirando modo, ita licet sanguis
Christi non sit in vino, ut vinum in poculo, ana-
logia tamen continentis & contenti constabit.
Videre igitur nunc licet, quod Piscator tanto-
pere pro Metonymia laborans, ut corpus Chri-
sti à pane abesse persuadeat, futiliter agat. Si
quis

quis autem quaesierit cum in Metonymia usum
tantum beneficium consequamur, ut absentiam
corporis Christi inde demonstrari negemus:
Præsentiam autem non refragante Metony-
mia asserere possimus quare illam non feramus,
ut hac saltem in parte contentio cesset? Huic
respondeo me quidem adeo facilem esse in certa-
minibus huiusmodi, ut nobiscum de re consen-
tientibus, etsi suis quibusdam phrasibus & ter-
minis delectentur, morosè non relucter, tan-
tumq̄ caveam, ne concessio nostra in fraudem
veritatis vergat. Quia verò à Piscatore ut
etiam ab aliis Metonymia conducta est, ut
præsentiam corporis & sanguinis Christi cum
symbolis sacrae Coenæ in terra declinet, ideo de
re ipsa dissensus est, & hic quidem primarius,
in quo nos oportet esse tenaces quoniam de ver-
bis testamenti Salvatoris nostri res est nobis
τὸ ἔργον declaratione testatoris assertum ample
ctentibus. Accedit quod ab adversariis nostris
vis inferatur probatissimæ doctrinae de tropis,
mutatis tum generis tum speciei usitatissimis
definitionibus, Dialecticum, cum videlicet vi-
num pro poculo dicitur, & Rhetoricum, cum
poculum pro vino ponitur, confundantur,
aliaque inconvenientia accumulentur,
Inpri-

In primis verò ad modum tropi usitati cogatur
& torqueatur modus mysticus & arcanus, qui
est Sacramenti. Ac simpliciores notabunt
Metonymiam in poculo, cum nimirum pro
vino ponitur, non remanere, cum Poculum di-
citur esse vinum. Hic enim poculum propriè
accipi manifestum est. Cum autem vulpes pro
astuto metaphoricè usurpatur de Herode,
tum ut Metaphora maneat, sic dicitur: He-
rodes est vulpes, hoc est, vox tropica, prædica-
tum præstat, & cum copula λόγῳ Metaphori-
cum sustinet. Ac ne quem turbet diversitas,
quod in hac oratione, Toga est pax, metapho-
ram, In ista vero, poculum est vinum, eun-
dem tropum non agnoscamus, consideret au-
ditor causas ad modum supra indicatas. Si in
tropi natura tantum perstiteris, oratio expli-
cans tropum ejusdem naturam referet. Ut igitur
Metonymia est toga pro pace posita Ita
si ad nudam intentionem tropicam respectans
dixeris, Toga est pax, idem intelligi oportebit,
ac si propriè sic loquerer, Toga est posita pro
pace. Et hætenus ad mentem Rhetoris sim-
plicissimè accommodatur sensus, cuius propriè
non est, quod de similitudine & signandiratio-
ne aliunde assciscitur. Si verò togæ ad pacem
convenientiam expenderis, unde tropus natus
est,

est, inuenies indicium pacis in eo, quod togæ
usus ut commodior, ita receptior sit tempore
pacis quam belli. Hinc igitur & hac de causa
toga fit signum pacis, hoc demum si inuolueris
Metonymia, & si propriè ad tropi specificam
naturam non pertineat, sensus orationis expli-
catoria, Toga est pax, hic erit, toga est signum
pacis. Quia verò metonymia nō egreditur nomi-
na, ut verbis communicet, quemadmodū meta-
phora, ideo in enunciatione hac, Toga est pax,
rectius Metaphoram quam Metonymiam de-
fendemus, maxime cum ex quadam analogia
togæ ad pacem nata sit signandi ratio, indeq;
vox toga assumerit pacis significatum per me-
tonymiam. Jam similiter examina Metony-
miam continentis & contenti, etiam seposita
signandi ratione. Sic igitur dictum, Poculum
est vinum, sensum præbebit hunc, Poculum
continet vinum. Ut igitur in illo exemplo,
Toga est pax propter similitudinem, & ne me-
tonymia irruens in verba naturam suā exuat,
Metaphora constituta fuit, Ita in explicatione
Metonymiae continentis & contenti (nisi quis
velit contendere Metaphoram esse in copula
quandam (συνητην erit ratio, unde Came-
rarius in huiusmodi prædicationibus synthesin
constituit: Dn. Lutherus autem & Philippus
Synec-

Synecdochen appellarunt, non quidem quæ proprie tropus est, sed quæ comprehensionem utriusque significat, & etymologicè ostendit, quod ita unum sit alterum, sicut in vicem juncta & unita sunt modo tantum unionis arcano & imperscrutabili, qui Sacramentis proprius est. Et quoniam Verbo Sacramentalis, quem in hac locutione Christi consideramus, Hoc est corpus meum, propriè consistit in ratione unionis panis cum corpore Christi, deliberet nunc Piscator, quàm procul absit explicatio, signandi speculatione solummodo definita ab ea, quæ est verè Sacramentalis, præsertim si ita urgeatur Metonymia, ut etiam isti naturæ Sacramentali opponatur. Quicquid enim hinc disputat Piscator, id omne direxit ad abolitionem præsentie corporis Christi cum pane. Ut etiam illi, quia à persona Calvinii pendentes nobis iniqui sunt, hæc Scholastica minus contemnant, diligentius autem perpendant, operæ pretium fuerit istius Antesignani experientiam & conscientiam hic allegare. Sic enim ad verba Christi, 1. Corinth. ii. postquam sensit se in metonymiæ usu à signandi tantum ratione pendente ne quidem suam sententiam de spirituali præsentia tueri posse, commentatur: Cur ergo appella-

pellatio corporis pani tribuitur? Omnes pueri
concedent eadem ratione, qua Spiritum san-
ctum Johannes primo capite columbam vocat.
Haecenus convenit: Porro in Spiritu illa
fuit ratio, quod sub columbae specie apparue-
rat. Transfertur ergo Spiritus nomen ad
signum visibile, cur hic negemus similem esse
Metonymiam, nomenque corporis pani tribui,
quia ejus signum sit aut symbolum? Dabunt
mibi veniam, si qui dissentiant: Contentiosum
mibi videtur de eo pertinacius litigare.
Constituo itaque Sacramentalem hic esse lo-
quendi modum, ubi **DOMINVS** rei signa-
tae nomen signo tribuit.

Nunc ulterius pergendum, ac quaerenda
Metonymiae ratio. Hic respondeo, non ideo
tantum signo imponi nomen rei signatae quo-
niam sit figura, sed magis quia symbolum sit,
quo res exhibetur. Similitudines enim quas
mutuantur quidam à rebus profanis aut ter-
renis, quoniam à Sacramentis **DOMINI**
habent aliquid diversum, non admitto. Vo-
catur Hercules statua Herculis, sed quid il-
lic est praeter nudam inanemque figuram? Co-
lumba autem Spiritus vocatur, quia cer-
ta sit tessera invisibilis Spiritus praesentiae.
Er-

*Ergo panis est Christi corpus, quia certo teste-
tur exhiberi nobis corpus illud, quod figurat, vel
quia Dominus visibile illud symbolum nobis
porrigendo unà dat etiam nobis suum corpus.
Neq; enim fallax est Christus, qui vacuis si-
gnis nos ludat, proinde illud mihi est extra
controversiam veritatem hic cum suo signo
conjunctam esse, hoc est, non minus verè nos
quantum ad vim spiritualem attinet, partici-
pes corporis Christi fieri quam pane vescimur.
Hæc Calvinus, quæ graviter testantur, Me-
tonymiam per se non esse aptam ad explicatio-
nem Sacramentalium locutionum, nisi præter
signandi rationem altera advocetur, quæ est
præsentia corporis testificatio, seu ut panis sit
signum præsentia corporis Christi. Quamvis
autem Calvinus corpus postea cum vi spiri-
tuali permutat, & præsentiam duntaxat fidei
spondet, tamen ut in illo manifesta vis appa-
ret, quæ sententiæ de præsentia corporis adfera-
tur, ita cum in his verbis, Hoc est corpus meum,
passus sit præsentiam corporis Christi cum pa-
ne, & panis non alio modo sit corpus Christi di-
gno quàm in digno, fideli quàm infideli cum
horum respectu non varietur institutio Domi-
nica in dictis verbis, iccirco præsentiam oportet
præter spiritualem aliam largiatur. Cum etiam
in na-*

in natura metonymiae non sit praesentiam istam
arguendi, patet omnibus, nulla necessitate ur-
geri ea. Quanta igitur improbitas erit tantis
odis pro Metonymia tanquam hic necessario
ponenda concertandi? Contra, cum tropus ille
potissimum dicatur ac deprehendatur absentiae,
que vera praesentiae opponatur, omnino gra-
vissima dissentienti causa nobis allata appa-
ret, in quam timentes Deum & eruditi tandem
accurate inquirant, ut quod justum est & de
quo DEO respondere non vereantur constitu-
ant. Porro attexit Piscator fallaciam ut ap-
pellat, quasi sint, qui dicant, prorsus similem
esse loquendi rationem in verbis Domini, Hic
est sanguis meus novi testamenti, Matth. 26.
(quam versionem vulgatam vocat & vitiosam
culpat, quia non hic, sed hoc reddi debuerit) &
in verbis Moysis, Hic est sanguis foederis,
quod pepigit vobiscum Dominus, Exod. 24.
Quod ad versionem, Matth. 26. vulgatam at-
tinet apparet Piscatorem Biblia non inspexis-
se. Cum enim in ea versione non poculum sed
calix legatur, demonstrativum certe ad cali-
cem referendum masculinum esse debuit. Aut
igitur Piscator probet vocem Calix esse gene-
ris neutri, aut oscitantiam suam in censenda
vulgata versione agnoscat. Quod ad compara-
tionem

H

tionem

tionem enunciationum Christi & Moſis, igno-
ro quem pungat. Certus autem ſum, quod in
æquiparandis illis plus ſibi ſumſerint Sacra-
mentarii quàm noſtrates. Equidem ut planè
eundem utrobiquè ſenſum non admitto, ita hæc
inde deprompta contra Calvinianos argumenta
haud puto tenuia eſſe. Primum, quod ſicut Chri-
ſti fœderis ſanguis eſſentialis pecuinus fuit, ita
ſanguinem novi teſtamenti oporteat accipere
verum eſſentialem ſanguinem Chriſti, unde
το γινώσκον prædicati in hac propoſitione conſtat,
Vinum ſacræ Cœnæ eſt ſanguis Chriſti. Dein-
de, ſicut in veteri teſtamento ſanguis & Deo im-
molabatur & populo aſpergebatur, ut fieret &
obſignaretur confederatio inter Deum & illum
populum: Ita novi fœderis ratio poſtulat, ut
ſanguis Chriſti non ſolum patri ſit oblatus in
cruce, ſed etiam applicetur hominibus & in pro-
miſſione quidem fit applicatio per fidem. In ri-
tu autem Sacramentali ſingulari opus eſt, quæ
ut in veteri fœdere aſperſione fiebat, ita in novo
ſecundum voluntatem divinam per ſpicuis ver-
bis Chriſti declaratam præbitione & bibitione
præter ſpiritualem fit Sacramentali. Quid ve-
rò quo jure in hac comparatione culpabit? Quæ
pag. 13. & 14. interſpergit ſupra ſunt diſcuſſa.
Pagis

Pagina verò 15. synecdochen integri ut vocat,
hoc est, Lutheri & Philippi sententiam, qui in
hac locutione, Hoc est corpus meum, synec-
dochen statuerunt, exhibilat, ac ne sine ratio-
nibus agere videatur, subjicit, falsum esse cor-
pus Christi in pane Eucharistico latere, quia
nulla id ratione probari possit. Atqui si calum-
niam localis inclusionis rejeceris, & presenti-
am invisibilem, itaq; latentem intellexeris, ver-
ba Christi adeo promptè id largiuntur, ut etiam
Calvinus docere non dubitarit, panem esse
tesseram presentiae corporis Christi, sicuti co-
lumba erat signum presentiae Spiritus sancti.
Nisi igitur ad modum, quem semper in myste-
rio declinamus, devolvatur questio, res Cal-
vino assentiente plana est, corpus Christi cum
pane praesens dici, quando Christus inquit,
HOC, id est, panis est corpus meum, & sic
exprimi synecdochen sive utriusq; comprehen-
sionem notari, sicut panis & corpus Christi
uniuntur. Eodem sensu Camerarius Synthesin
appellavit, neq; potest hic Piscatoris reprehen-
sio absq; sycophantia speciem acquirere, quod
tamen veritati corporis ex diametro repugna-
re putat, si id alicubi lateat seu invisibile
sit. De hoc sunt nobis sacrae scripturae con-
traria testimonia & exempla in
H 2 prom-

promptu, sicut etiam in eo, quod hec presentia
corporis simul & semel ad plura loca revoca-
tur, non dum adeo demonstrarunt ad versarii
impossibilitatem, ut possibilitatis, etsi simplicius
credenda foret, argumenta etiam nobis suppe-
rant, quemadmodum in tertia de sacra Coena
disputatione indicavimus. Sed isti homines tan-
tam sibi sumunt auctoritatem, ut si modo di-
cant, quod non sit vel non esse possit, etsi dicta
nullo modo stabiliant, expeditam tamen velint
disputationem & immotam decisionem. De
particula H O C ad solum panem referenda,
ut scilicet subjecti inconfusa notatio constet, re-
cte monetur: Verum cum illo pane esse unitum
corpus Christi, idq; hac oratione indicari, Hoc
est corpus meum, disertè etiam profiteamur.
Ut igitur illud nos non ferit, ita si nobiscum
tamen hic contendere velit, in posteriore ut spe-
ciatim experiatur oportet.

Postremò Piscator convertit se ad socios
suos nimirum Sacramentarios Calvinianos, &
horum Metaphoram in verbis Domini sugil-
lat. In hac autem disceptationis parte lector
observe quod quæ supra de prædicatione, To-
ga est pax, concedere seu in ea videre noluit, ea
hic sponte largiatur, Metonymiam nimirum
signi & signati tanquam fundamento niti simi-
litu-

litudine quam signa cum rebus habeant. Ne
verò hac concessione seipsum jugulare videa-
tur, sic se ex laqueo extricare conatur: Inde
inquit non sequitur, in verbis illis Domini esse
metaphoram. Neq; enim quaestio hinc est de cor-
pore Christi quorsum nobis proffit, sicut Joha. 6.
ubi Christus ait; Carnem suam verè esse panem
seu cibum, In quibus verbis metaphoram inesse,
nemo rectè sentiens negat. Sed quaestio hinc est
de pane Eucharistico quorsum ille nobis à Do-
mino institutus atq; ordinatus sit, nempe in Sa-
cramentum corporis ipsius. Hæc Piscator,
Ex quibus tanquam verissimum accipio, quod
locutio Sacramentalis cum ea, quæ est Joh. 6.
non congruat. In Sacramentali enim materia-
lis panis, In Johan. 6. Metaphoricus intelli-
gitur. An verò hoc ita probaturi sint Calvi-
niani, ut à comparatione qua ad tropū ducitur,
discedant, viderit Piscator, quando cum sociis
super hac re convenerit. Metuo certè ne tan-
quam hostis malè acceptus transactionem non
impetret, nisi per *παλινοδία*. Præterea hoc
certum est, quod metaphora hinc explosa mul-
tominus locus esse queat metonymiæ. Gravius
verò bellum sociorū in se concitat Piscator cum
contra ipsos decernit, in verbis Domini, de qui-
bus pugnatur, non esse quaestionem de corpore

Domini quorsum possit. Equidem qui cum Augustino & Domino Luthero juxta præscriptum Christi in institutione discernentis, maxime necessarium duco ut inter substantiam Sacramenti & hujus fructum probe distinguatur, non repudio Piscatorem nobis hætenus succenturiantem. Cum autem pronunciandum fuerit, quorsum panis Eucharisticus nobis ordinatus sit, constanter respuo metonymicum ejus usum, hoc est, inanissimum illum, qui verba dans rem promissam tollat, quiq; contra omnem eruditionem ineptissima temeritate fingatur. Contra verò urgeo, quod institutio testamentaria Christi teste Calvino & Beza corporis ejus cum pane conjunctionem quandam promittat, quam cum modo inexplicabili (de hoc enim ne verbum quidem prodidit Christus & mysterium ipsum arcanum postulat) veram simpliciter credimus, à multis injuriis abstinemus, quas Calviniani modum certum speculationis in aëre venantes verbis Christi inferunt. Cumq; Piscator sua singularitate non solum ab ista violentia alienus non sit, & etiã modò nostra, modo Calviniana arma acuat, Utrosq; autem sibi adversarios delegerit, miseret me hominis tantum certamen contra tot tam imprudenter aggressi. Et hætenus ductum Piscatoris sequentes de
Metonymia. DE

DE TERTIA QUÆ- STIONE.

In qua voce tropus ille sit.

HIC Piscator responsurus præsupponit, quod demonstrarit in verbis illis Domini esse tropum eumq; Metonymiam ostenderit. Neutrum autem factum est, quandoquidem recordans eorum, quæ vanitatibus Piscatoris opposuimus, testari poterit. Falsis igitur præsuppositis meminerimus superstrui sequentia. Respondet autem Piscator Metonymiam inesse in verbo substantivo *EST*, idq; sic probari opinatur:

Metonymia illa est aut in propositionis illius subiecto, aut in prædicato, aut in copula.

At nec in subiecto nec in prædicato est.

Est igitur in copula, nempe verbo illo substantivo *EST*.

Propositio autem syllogismi falsa est trimembri distinctiva vim faciens Logicis et Rhetoricis præceptis, licet eam Piscator manifestã & apud omnes logicæ peritos extra controversiã positam prædicet. Nõ enim potest idoneus auctor appellari unus, qui copulã inter partes enunciationis

recensens eam faciat κείμενον π. Duo enim tan-
tum sunt κείμενα Categoricae propositionis, vi-
delicet ὑποκείμενον seu subjectum, & πρῶτον κεί-
μενον seu praedicatum. Copula autem non con-
stituit tertium κείμενον, sed ut est συνηκτικῆς
ἐξέμενον, ita & συκείμενον, hoc est, κείμενα
partes alterius, non verò sibi proprias novit,
etsi propter conjunctionem eas nonnihil parti-
cipet. Nam κείμενον dicitur, quod rei significa-
tionem sustinet. Copula autem seu verbum
E S T tertii adjecti, ut vocant, rem nullam si-
gnificat, αὐτὸ μὲν ἦ δ' ἐν ὅσιν, inquit Aristote-
les in lib. de interpretatione, πρῶτον μὲν δὲ οὐκ
ἔστι τινα sed conjunctionem quandam assigni-
ficat. Ramus κείμενον ideo, quod rem significat,
appellat argumentum, neq; in Categorica
enunciatione vel simplici duobus argumentis
plura agnoscit. Quod si copula E S T argu-
mentum tertium feceris, quo in loco illud nasci
dices? Si verò ad locos argumentorum referri
non potest copula quam ineptum est ipsi &
quidem à subjecto & praedicato distinctè partes
argumenti deferri. Quod si copula nec rem
significat apud Aristotelem, nec argumentum
praestat secundum Ramum, quomodo tropum
sustinebit sola? Tropus enim est vocis à pro-
pria significatione in aliam translatio, qua res
signi-

significata mutantur. Id igitur quod ἴδιον ἐστίν, ut Aristoteles inquit, istam significationis rerum mutationem non recipiet, aut si tropum tamen in copula dederis extremis propositionis propriè acceptis tropi definitionem, quod nimirum sit propria significationis mutatio, tolles & tropū facies sine tropi natura & proprio. Hæc tanta absurda peritiam Logicæ à Piscatore, jactatam vanam arguunt, seu magnam potius imperitiam Dialecticæ & Rhetoricæ præcepta violantem, de qua amplius consulatur censura prædicationum. In propriis enim vel essentielles vel causales vel accidentales si aestimas, nonne singule resultant ex prædicati relatione? Hæc in significatione prædicati fundata, jam opponere improprias tropicas & necesse erit iisdem in sedibus contineri tropum, in quibus proprietates residebat, aliàs tropus proprietatem tollet, justam oppositionem non tuebitur, neq; verè proprietatem abolebit. Sic tropicas locutiones Aristoteles & cum hoc omnes eruditi etiam inter Patres Ecclesiæ, Athenasius, Augustinus, Damascenus, & alii appellarunt homonymas, approbata etiam est ab omnibus doctis ad hunc usq; diem hæc definitio Aristotelica, ὁμόνυμα λέγεται, ὃν ὄνομα μόνον κοινὸν ὁδὲ κατὰ τ' ἔνομα λόγος τῆς ἔσσης ἐστίν, Ho-

monyma dicuntur, quorum nomen solum com-
mune est. Definitio autem naturæ nominis
congruens alia atq; alia. Ut igitur homonymia
non est, nisi in nominibus aut verbis rem si-
gnificantibus, & ita τῆς ὁμοίας λέγων habenti-
bus, sic tropus non erit, nisi insimilibus nomi-
nibus vel verbis. At istiusmodi duntaxat sunt
subjectum & prædicatum. Tropus igitur in
copula non dabitur, ubi non est λόγος τῆς ὁμοίας
seu rei alicujus ratio copulâ præsertim à prædi-
cato distincta & extra communionē rei prædica-
tæ apta. Rursus deflectens à genere, hoc est, tropi
natura, speciem excute & Metonymiam sua de-
finitione huc accommoda Hæc verò est nomi-
nis saltem, non verbi. Contra naturam igitur
suam, & è sede ejecta, in qua sola, quod esse dici-
tur, constat, fingitur Metonymia, & quod
omnium est vanissimum, collocatur in verbo,
cujus nulla rei significatio, circa quam tamen
ut omnis tropus ita Metonymia occupari de-
beat quæ vanitas manifestior fit, ubi conside-
ras, quod Metonymia sit nominis pro nomine
positio. Laboret enim hîc quispiam conando, ut
illam permutationem in verbo EST aliqua
ratione mente concipiat, verbisq; explicet, &
experietur, se ad impossibile delapsum. Expen-
datur etiam, quod Piscator appellavit metony-
miam

miam adjuncti. Hic quaeso mihi monstretur ratio adjuncti citra praedicatum, & citra rem praedicati: Gratiarum tamen ago Piscatori haud vulgares, quod praedicatum statuit proprie accipi de corpore Christi, idque agnoscit planum esse ex verbis, Quod pro vobis traditur. Hoc vero constanter, sicuti à nullo nisi profano homine moveri potest, nunquam tropi in hanc locutionem intrusio salvabitur. Et quis unquam audivit tantas nugae cum auctoritate insignis eruditionis venditari, metonymiam nimirum esse sensum, quo panis proprie dictus dicatur esse corpus Christi proprie dictum? Proferat hic Piscator idoneum quendam testem, Metonymiam esse sensum praedicandi monstret idem, quomodo sensus praedicandi sit tropicus nulla substantiali parte, quae praedicationem constituat, tropum sustinente. Nonne cum voces, quae sola ad recipiendum tropum idoneae sunt, negantur tropicae, tropus simul negatur? Nonne cum Metonymia sit, quando signum pro re signata ponitur, aut contra, alterum à sua propria significatione flectitur ad alterius significatum, quod recipit suo proprio misso? Quia igitur metonymia erit inter easdem voces singulis propriam significationem retinentibus, & num vox voci substituetur neutra alteri cedente, ut Metonymia sit nulla

mero-

metonymia, hoc est, nominum permutatione
nulla facta? Quó igitur dementiæ ruitis miser
Sacramentarii, dum in verba Christi tropum
& quidem Metonymiam intrudere molimini?
Quanto verò rectius & fortius sic argumen-
tamur:

Si in datis prædicationibus Sacra-
mentalibus tropus est, tum vel in
subiecto, vel in prædicato ut sit
necesse est.

Sed nec in subiecto nec in prædi-
cato est.

Ergo tropus in istis enunciationi-
bus nullus est.

Cujus syllogismi propositio verè peritis Lo-
gicæ manifestissima est. Nec vereor provoca-
re ad omnes Dialecticos, qui à tempore Aristo-
telis usq; ad Cinglium vixerunt. Ramum eti-
am appello & omnes genuinos ejus discipulos.
Assumptionem Lutherus ejusq; sectatores ex-
truere ex declaratione Christi, cujus tanta est
perspicuitas tantaq; vis ut etiam hostes Luthe-
ri, Cinglius, Beza & hic Piscator eam compro-
bet. Hic obsecro judicent, qui mente valent
Deumq; timent, vel saltem coram mundo men-
tiri erubescunt, utra pars meliorem causam
tueatur, sive fides Christo probanda sit, sive

eru-

rudicio Philosophis. Quod si accesserit indica-
tio mysterii, quod Christus testamentaria san-
ctione instituit, & per quod panis est corpus
Christi na Aristoteles cum saltum à discipli-
na in disciplinam improbare, prohibuerit præ-
dicationes illas ad profanarum modum ampli-
us censerit.

Pergit Piscator contendere pro æquipol-
lencia harum phrasium, Panis significat cor-
pus Christi, & panis est signum corporis Chri-
sti, hocq; contendit contra quendam amicum,
qui metaphoram in verbis Christi statuit, me-
tonymiam rejicit. Illud verò nihil ad nos, cum
tropum planè respiciamus. Neq; probatur Cal-
vino vel Bezae in significatione contineri mo-
dum Sacramentalem. Sive igitur metaphoram
sive metonymiã dederis, hinc tibi hærebit aqua,
quod à modo Sacramentali tropi illi longius ad-
huc absint, ideoq; veritatem Sacramentalem
non promant, quanquam & alia impedimen-
ta, de quibus hætenus monuimus, objiciantur
plurima. Illud verò notatione dignissimum
est, quod Piscator pag. 20. manum porrigit &
tamen se victorem simulat. Si quis contendat,
inquit cum verba Domini exponuntur sic, Hoc
est corpus meum, hoc est, hoc est signum
corporis mei, cum tropum poni in prædicato, id
ali-

aliquatenus concedi potest. Hæc ille recens totius litis Sacramentariae ab ovo usq; reviso, jam cum auctoritate Christi evictum dixerit tropum in prædicato dari non posse. Aliquatenus certe contra Christum pugnat, dum suam Metonymiam obtrudit, quæ aliquatenus prædicatum invadit. Concedo inquit tropum poni in prædicato quatenus est prædicatum. An verò Domine Piscator supra prædicatum aliter intellexisti, quam quatenus prædicatum est, quando disertè negasti in prædicato esse Metonymiam? Adjicis sanè prædicatum esse ratione copulae, cujus vi subjecto tribuatur. Sed imprudenter in damnum tuæ opinionis protulisti. Quia enim copulae cum prædicato tanta est necessitudo, ut illa cum hoc tropum recipiat, si in alterutro detur, ideo diligentius cavere debebas, ne in copulam tropum collocares, quem in prædicatum Christo prohibente recipere non potest. Nec levitate caret, quod addit: atq; ita res eodem recidit. Minimè enim eodem res recidit, cum in copula tropus ponitur salvo prædicato, & in eadem ille detur destructo prædicato. Destruitur enim prædicatum, cujus definitio tollitur, ut fit tropo in aliqua voce concessa. Prior enim definitio aboletur, planeq; nova substituitur. Gravis hoc esse viri, nemo dixerit, sed

sed potius ejus, qui est contraria: nota propri-
um istud agnoscent omnes boni, quod contraria
& quæ talia videt pro iisdem reputaverit.

Sed novum inventum Piscatoris audiamus.
Omnino, inquit, eadem est ratio prædicationis,
quæ est nominationis. Nego verò illud omni-
nò, quia simplicium & conjunctorum seu eo-
rum quæ ἡ τὰ συμπλοκῆν, & eorum, quæ
ἀνδρὶ συμπλοκῆς dicuntur discrimen est ex an-
teprædicamentis Aristotelis notorium & per
se manifestum. Neq; omnis nominatio ad ex-
emplum Piscatoris fit, quo nomen Herculis
tribuitur statuæ, verum etiam universalia no-
minantur, ut rosa, bos, homo sine applicatione
ad individuum, ex qua prædicationis ratio re-
sultat, fitq; nominatio vel subjecto vel prædica-
to singulariter considerato. Prædicationis igitur,
quæ extra synthesein subjecti & prædicati
non consistit, & nominationis, quæ etiam fit ex-
tra illam synthesein, non est omnino eadem ra-
tio. Sed quo Piscator tendat, videamus. Cum
igitur metonymica appellatio, inquit, pendeat à
Metonymica prædicatione, Prædicatio autem
omnis dependeat ab enunciati vinculo, conse-
quens est in Metonymica prædicatione me-
tonymiam ipsi vinculo inesse. Nego rursus
quod

quod Metonymica appellatio pendeat à Metonymica prædicatione. Nam ut simplicia natura sunt priora compositis, & hæc ab illis consequenter dependent, ita æquius est, ab appellatione prædicationem quam illam ab hac pendere. Verùm hæc parva logicalia non morarer, nisi iste corruptelas majores inde texeret. Falsissimum certè est, prædicationem omnem pendere ab enunciati vinculo, secundum mentem videlicet Piscatoris, qua annititur copulam non solum accensere partibus constituentibus prædicationem, sed etiam ipsam partium primariam prædicationumq; dominam & reatricem renunciare, quasi copula id ex se præbeat, unde existat prædicatio, & non potius copula à prædicato dependens ex eodem auferat scilicet quæ sit prædicationis forma. Quæ opinio Piscatoris verè eruditorum receptissimam censuram ipsamq; naturam prædicationum impugnat, quarum formæ & diversitates à prædicatorum ratione oriuntur indeq; appellantur. Ut autem juniores intelligant copulam prædicationem formaliter ex se nequaquam constituere, considerent, quod si species vel genus de individuo, vel de specie genus, differentia, proprium aut accidens prædicetur, appellationibus illis diversis, prædicato, non autem
ver-

verbo *E S T* propriè competentibus indicetur,
unde sit prædicationum varietas, ideoq; forma-
les appellationes à prædicati $\lambda \gamma \omega$ sumuntur,
ut quæ prædicantur tanquam de subjecto essen-
tiales, quæ insunt subjecto ut accidentia, acci-
dentales faciant prædicationes. Hinc igitur
manifestum est, ex nativa prædicati $\chi \epsilon \sigma \epsilon \lambda$
ad subjectum manare, itaq; etiam inde depende-
re prædicationem formaliter, non verò à copu-
læ proprietate quadam. Etsi enim ex habitu-
dine prædicati ad subjectum certa significatio
verbo *E S T* confertur, illa tamen copula tum
ut ministra recipit eas partes sibi à prædicato
demandatas & injunctas, ideoq; ipsa non est
pars prædicationis, sed ancillatur partibus
constituentibus: Id quod ignorare non debebat,
multo minus convellere, qui alios tanquam er-
rantes in probatæ eruditionis gyrum cogere
presumpsit. Quamvis igitur non negemus tro-
pikum inesse copulæ, tamen ut non nisi ex præ-
dicato in copulam redundat, ita prædicato im-
muni à tropo existente non in copula, maxime
cum non sit ex argumentis prædicationem con-
ficientibus, tropikum consistere posse, ut tropica
sit enunciatio, hoc omnium ferè doctorum suf-
fragiis pernegare non cessamus. Cumq; Pesca-
tor licet ad refragandum veris sententiis factus,

I

hoc

hoc ipsum vel aliquatenus necessariū agnoscat,
neq; tamen pie possit aliqua enus declarationi
Christi adversari cedat potius quā ut Chri-
sti antagonista qualis deprehensus est, maneat,
Quod copulam EST dixi συνηγορητικῆς μὲν,
id nec sine auctoribus, nec sine rationibus fa-
ctum est, valdeq; miror Piscatorem Logico-
rum veterum & recentiorum magistrum &
Aristarchum se verum in suā primaria pro-
fessionis scholis adeo peregrinari, ut quærendum
fuerit, quare copula appelletur Syncategoru-
menon Quandoquidem autem ex eo, quod præ-
dicato addita συνηγορητικῆς appellat, vi-
dere est, quod non intelligat usum termini
τεχνικόν licet admodum vulgarem, repetenda
nunc sunt ista scholastica. Syncategorema-
ta vulgò Logicorum sunt voces & particulae
per se nullam rem significantes, quæ tamen con-
iunctæ aliis per se significantibus consignificati-
væ, ut loquuntur, fiunt, tales sunt, omnis, nul-
lus, quidam: Item adverbia, præpositiones &
conjunctiones. Ac ut de verbo EST hic sin-
gulariter dicamus, verborum vires expendam-
us: Quæ sunt adjectiva ut vocant, ad ductum
Porphyrii (Sunt autem hæc omnia verba præ-
ter unicum substantivum tertii adjacentis) his
tres vires tribuunt, 1. significare rem, 2. signifi-
care

care tempus, 2. habere vim copulandi. Ver-
bum autem substantivum tertii adjecti tempo-
ris significationem & vim copulandi habet,
rem vero non significat, αὐτὸ μὲν ἔστι δὲ ἐν ἔστι,
inquit Aristoteles, πρὸς οὐ μὲν δὲ οὐν δεοῖν τινα.
Sicut igitur reliquæ voces per se nullam rem
significantes dicuntur συνηθησέματα seu
particulæ syncategorematicæ & consignificati-
væ: ita copula E S T dicitur συνηθησέμα
& συνηθησέματιον, quod cum prædicato ali-
quid significare incipiat. Quando appellatur
E S T secundi adjecti tum rei, hoc est, entis
significationem obtinet, quàm ut singularem
non infert in prædicationem, in qua certum
prædicatum aliud copulat subjecto, nisi qua-
tenus illius E S S E modumq; essendi suum fa-
cit. Ineptum enim esset singulare Ens in copu-
la ponere, & sic velle resolvere enunciationem
homo est albus, hoc est, homo est ens illud,
quod est album, ut quendam ita nugari me-
mini. Vide enim quid fiat: Ens illud, quod
Analyticus interserit, fit prædicatum homi-
nis & subjectum albi. Erit igitur copula omnia,
hoc est, & subjectum & prædicatum & copu-
la. Cuius hinc rursus dux adhuc adhibean-
tur copulæ, quæ erit earundem alia, quam

enodò indicata ratio ? quisq; tandem resolutionis hujusmodi & illorum entium finis ? Rectius cum Aristotele facimus, qui terminum propositionis definit, in quem resolvatur propositio, & resolvendo duos tantum terminos appellat, subjectum nimirum & prædicatum. Quod si copula etiam pars fuerit prædicationis, in resolutione eam singularaliter esse & terminum dari oportet. Considerentur nunc termini syllogismi ex istis propositionis terminis resultantes, in quibus copula non numerabitur. Non enim est major, neq; minor, neq; medius. Erit igitur quartus quispiam terminus, cum tamen Logicæ præcepta & ratio, ad quam confirmata illa sunt, itaq; ipsa veritas plures quàm tres terminos non admittat. Et cur in conversione propositionis nullus datur modus, qui copulæ ut partis rationem habeat ? Hæc igitur sententia, copulam non esse partem constituentem prædicationem, non est recens, sed vetustissima, & si vocabulum hoc τεχνικόν συνηγορητικόν minimum à posterioribus interpretibus sit adhibitum. Et quare Piscator non veretur Bezam, qui hîc non solum cum Aristotele facit sed etiam magnum erratum pronunciat, si quis inter κειµενα referat copulam, quod idem est, ac si partem constituentem dixeris ?

vis? Opinatur sanè Beza me in eundem lapidem
impingere, quia esse & essendi modum in copu-
la distinguam, & in regularibus secundum esse
proprietaem copulae asseram mutatis modis se-
cundum quinq; predicabilia. Verum fallitur
ipse. Etsi enim copula E S T ad praedicationem
non adfert peculiare Esse discretum ab esse
verarum partium: Tamen cum generalis si-
gnificatio verbi substantivi omnibus Entibus
communis sit, cuicumq; jungatur voci rem si-
gnificanti, ipsius dato Enti sese conformare,
potest: Et quanquam hoc ipsum sibi vendicare
posset seorsim, ut cum est secundi adjecti, ta-
men ne duo singularia entia intelligantur, co-
pula nimirum & praedicatum, alterius signifi-
catum ab altero quasi absorberi necesse est,
idq; in copula fieri justum est, cum non ad-
hibeatur, ut ens adferat, sed ut istud, quod
in praedicato inveniat, jungat subjecto Neque
sic planè amittit suam proprietatem, sed
quia illa adest omnibus, quatenus simpliciter
consideras, ubiq; constabit, tantumq; haecenus
suam non repueravit, quatenus peculiare & ab
Esse praedicati distinctum quiddam concipitur,
idq; gravissima de causa hac, ne monstrosa ac-
cumulatio entium fiat, quae modo in resolutione
ostensa fuit, quaeq; copula pro parte singulariter

singulariter significante posita aliter fieri ne-
quit: Sic modum essendi etiam recipit copula, qui
formam præstat prædicationi, quibus mutabiles di-
versitates prædicationum efficit. Ille verò modus
est ex habitudine prædicati ad subiectum indeque
manat in copulam. Verbum igitur EST non
de suo infert in prædicationem modum illum,
ut formam præstet tanquam ipsa pars sit sed
formam parti materiali, prædicato nimirum
conjunctionam mutuando recipit, & quia hoc mi-
nisterio fungitur quo sustinet aliena inde non
planè ὁσμημον censetur, sed συνηθηγορέμωον
vocatur, ne per se illud attulisse putetur, sicut
Piscator πρὸς συνηθηγορέμωον suum ita inter-
pretans, quod cum copula non prædicetur, sed
instrumentum sit, quo mediante prædicatum
subiecto attribuitur, hoc ipso vinculum signifi-
cato rei propriæ exiit, qui tamen negare non
potest in copulam transire ἕως prædicati,
quam habet ad subiectum, nude enim est consigni-
ficare incipit, ideoque commodius quia ab Esse,
cui ἕως speciei, generis differentie, proprii
vel accidentis inest, nunquam aliena, sed na-
tura ad id apta est, et si id tanquam suum ita
non venditet, ut quoddam Ens singulare &
diversum ex se attulisse videatur. Hæc schola-
stica plenius explicare volui quia ad res gra-
ves exquisitius dignoscendas profunt, & in con-

troversia Sacramentaria iudicii dexteritatem
pariunt de tropo in copula aestimando. Osten-
dunt deniq; pudendam inscitiam Piscatoris, qui
συγγατηγορημειν facit, quæ ad declarandum
prædicatum adjiciuntur, veluti si dicas, Chri-
stus est filius ille Dei viventis. Hic inquit fi-
lius est principale prædicatum, reliquæ voces
ad principale illud pertinent. Haud verò inju-
ria hic postulatur, ut inventor reddat ratio-
nem ob quam hoc ipsum sic statuat. Significa-
tionē certè Logicam τ συγγατηγορημειν non
retinet, aliàs hæ voces (ille Dei viventis) per
se rem nullam significarent, neq; genus & dif-
ferentia in definitione distinguuntur, ut prædica-
tum principale & minus principale. Et hisce
tamen novis inventis promulgandis sibi blan-
ditur Piscator doctrinamq; Ecclesie receptissi-
mam turbare non veretur. Inficiatur sanè in-
quit prædicatum eodem tropo. quid tum postea?
profectò cum prædicatum in enunciationibus
Sacramentalibus à tropo liberum agnoverit vi
declarationis Christi adactus, non poterit leue
duci, quod tropus Piscatoris eandem declaratio-
nem vitiat. Tropus enim inficiens prædica-
tum vitiat doctrinam **CHRISTI** quæ præ-
dicatum à tropo eximit. Sed nihil inquit hac in
re absurdi est. Imò absurdum est, quicquid
verbo **DEI** detrahit: absurdum est, quod ad
profa-

profanae eruditionis regulas aestimandum pro-
positum canones probatissimos evertit: absur-
dum est si quis maxime in re seria sibi contra-
dicat, quemadmodum Piscator tropum jam à
prædicato removeret, jam in isto collocat. Sed
instat, utrobique eundem sensum, ideoque nihil ab-
surti esse. sive metonymia sit in prædicato, sive
in copula. hoc est, sive verba Domini expo-
nantur ad hunc modum, Hoc est signum cor-
poris mei, sive ad istum, Hoc significat corpus
meum. Equidem sensum eodem recidere non
nego inficior tamen alterutram orationem præ-
dicatum à copula salvare. Ut enim signum cor-
poris non est ipsum corpus, ita eodem sensu,
ut Piscator disertè contendit, significari cor-
pus, est profectò ipsum corpus negare & si-
gnum eius duntaxat substituere. Audiat eti-
am hic Calvinum: Vocatur, inquit, in 1. Cor. 11.
Hercules statua Herculis: sed quid illic est
præter nudam inanemque figuram? hoc quia di-
versum à Sacramentis habet, Calvinus ait se
in censura verborum Christi non admittere.
Verum Piscator suostantum fœtus exosculans,
non dubitat Calvinum sententiam reprehendere.
Non desunt, inquit pag. 22. qui fateantur qui-
dem panem Eucharisticum corporis esse signum
sive Symbolum, sed Symbolum corporis cum
pane

pane presentis, idq̄ probare conantur exemplo columbæ quam Johannes vidit descendere super Jesum. Observent autem adolescentes hanc ipsam sententiam à Calvino subjectam exemplo de statua Herculis in loco modo citato. Quæ igitur consensio sit Sacramentariæ sectæ, hinc cognosci potest. Divisi enim sunt Sacramentarii: Cingliani nudam inanemq̄ figuram corporis Christi urgent in verbis Cœnæ accipiendam. Calviniani symbolum tradunt presentis corporis. Hoc quia natura metonymiæ non suppeditat ut supra indicavi ideoq̄ multum exagitantur metonymiæ patroni. Piscator Cinglianiis mavult associari quam Calvinianis, ut in tropo tota delitescat suæ interpretationis summa. Nos verò Calvini & sectatorum huius eruditioris nimirum partis testimoniis evictam sententiam Lutheri de symbolo presentis corporis firmiter tenentes, metonymiæ usum ad Sacramenti naturam non pertinere demonstravimus, ideoq̄ laborem de tropo omnem ut inanem reprehendimus, quoniam in selectissimo illo tropo non successit, cumq̄ isti Sacramentalem metonymiam fingunt, gratias illis agimus, quod hoc ipso inusitatarum prædicationum argumentum nobis præbeant. Recurrentes autem ad nugas Cinglii de inani figura nudoq̄ signo

corporis Christi, tum gravi declaratione Christi, tum Cingli confessione, qua prædicatum, hoc est, vocem corporis à tropo libera vit, ipsa q̄ constante de prædicationibus doctrina confundimus Sed audiatur Piscator responsans Primum Metonymiam in exemplo probat, quod Baptista Johan. 1. legatur Spiritum, Matth. verò 3. columbam vidisse. In Johanne igitur Spiritus pro columba positus erit metonymicè. Atq̄ hætenus non repugno, quatenus alterum pro altero positum consideratur. Quod etiam addit de symboliratione Metonymie causa, transeat: Verum hoc adhuc quaeritur, num propter symboli rationem tantum Spiritus sit appellatus pro columba, & hic fateri cogitur Piscator imprimis p̄ spiritus cum columba præsentiam notari, indeq̄ visionem Spiritus potissimum statui. Respondeat igitur nunc Piscator, quomodo metonymia hanc circumstantiam explicet. Nunquam profectò explicabit, quod suo sensu non comprehendit. Hoc considerato meditetur etiam enunciationem, quæ non alterum pro altero ponit, se unum de altero prædicat hoc modo: Columba, illa erat Spiritus sanctus, si hic Metonymiam priorem intulerit, meminerit eam non satis fecisse, ubi ipsi aliquid loci fuit. Non enim tantum spiritus pro columba, sed imprimis Spiritus cum colum-

columba indicabatur. Videat etiam, quomodo
confundat transitu ad prædicationem simpliciæ
& compositorum discrimen: Rhetoris item atq;
Logici distinctas partes. Errabit etiam si in so-
lam copulam detruserit tropum, quem in ea
continere non potuit, quemadmodum factus est.
Si igitur in prædicatum transire patietur tro-
pum non ipse Spiritus sanctus intelligetur, sed
nomen huius pro alio ponetur. Quod si porro
ad præsentie λόγος de venerit, ejus nullam ra-
tionem præbebit metonymia. Præteribit igi-
tur primarium sensum & negliget id, quo rea-
lissimè Christi confirmatio facta fuit, descensum
nimirum Spiritus sancti & mansionem super
Christo realem, seu ipsam præsentiam Spiritus
sancti cum columba. Egregium igitur inter pre-
ter Theologum ager Piscator pro metonymia
& quidem nuda tam pertinaciter dimicans. Et
hoc quidem de exemplo ipso, Columba illa erat
Spiritus sanctus. Ad applicationem exempli
quo ante Calvinum Capito & Bucerus For-
mulam Concordiæ Ann 36 VVitteberge con-
ceptam explicantes usi sunt, quodq; hi à Luthero
acceperunt, ad exempli inquam cum prædi-
cationibus sacre Cœnæ comparisonem sic Pi-
scator: Nego consequentiam, quia non est par-
ratio cum Spiritus sanctus infinitus & ubiq; sit.
Corpus verò Christi finitū & uno tantū in loco
Amptz

Imparitatem equidem in hoc agnosco quod corpus Christi finitum sit & maneat in æternum, neq; infinita omnipresentia essentialiter vel $\nu\gamma\tau' \delta\sigma\iota\alpha\upsilon$ sit alicubi quoniam in æternum, ut Formula Concordiæ inquit, unius nature proprietates non communicabitur alteri essentialiter: Sed non satis est imparitatem quandam indicasse, verum hoc demonstrandum erat simul, quod eadem imparitate sublata, asserta sit opposita paritas eodem respectu. Verum hinc deficit responsio Piscatoris. Certè ne quidem Spiritus sanctus ideo cum columba præsens statuitur, quia semper sit ubiq; sed quia se singulariter tum præsentem exhibuit cum columba, qua præsentia tum non erat alibi sed tantum cum columba. Quæ igitur imparitas obijcietur respectu Ubiquitatis, quæ est proprietates Spiritus sancti, de qua hinc non agitur? Collatio verò est instituta in præsentia generaliter, ad quam pariter referri possunt omnes species, constatq; comparatio in generis paritate, etsi species suis distent differentiis, nimiumq; crassa est sophistica, si quis exemplum rejecerit propter dissimilitudinē, quam collationis λόγος non concernat, quali artificio magister Logicorum, qualis Piscator haberi vult, turpiter studet. Previdit hoc responsum Piscator, ideoq; præ-

occupavit inquit: Quod si dicatur, columbam
illam fuisse symbolum non generalis illius præ-
sentia, qua ubiq; est Spiritus sanctus, cælum ac
terram replens, sed presentia cujusdam singu-
laris, nempe gratia singularis, qua adfuit hu-
manæ Christi naturæ per sua dona, concedo.
Hæc Piscator. Sed nondum rectè. Transilit
enim, quod ipsius Spiritus presentia universa-
lis à singulari distinguatur, ideoq; imparitatis
exprobratio vitiosa culpatur. Errat postea,
quod singularitatem presentia tantum gratia
consideratione definit, & in voce Spiritus tro-
pum ponit, ut non Spiritus ipse, sed hujus do-
num intelligatur. Non enim gratia solum sin-
gularis presentia hic docetur, sed in primis ipsi-
us Spiritus sancti substantialis presentia singu-
laris ratio arguitur. Non enim inquit Deus,
Super quem videris gratiam Spiritus sancti
demitti, Sed, super quem videris Spiritum san-
ctum descendentem ac manentem super eum. Non
sanè adeo crassi sumus, ut Spiritui sancto tri-
buamus descensum per motum localem, qualis
est corporum Physica locomotiva. Neq; ta-
men omnem descensus ἀναλογίαν ὑποσάσει
Spiritus sancti derogamus, cum Dei ad homi-
nes adventus, atq; ab iisdem recessus sæpissimè
in scriptura inculcetur. Loquitur sanè ad ca-
ptum

ptum nostrum, sed sermoni ita formato necesse
est, ut aliquid rei subsit, idq̄ DEO ἀναλογικόν,
Ideoq̄ illa dicta non solum de effectuum, sed etiā
de essentia seu ὑποστάσεως singulari præsentia
necessariò intelliguntur. Si enim effectum ope-
rantis spectas, tam in vasis iræ, quàm in va-
s misericordie operatur Deus. Jam si ratione ef-
fecti ad hominem venire dicitur, eodem respectu
à nulla creatura aberit, ne quidem à diabolis &
damnatis hominibus. Verum ejus respectu, quo
ad fideles venire dicitur, ab infidelibus abest,
neq̄ solum gratiam in piis efficere, sed ut hæc
conferatur, prius ad eos venire dicitur. Aliud
est Deum in homine sancto habitare, aliud in
eo operari dona gratie, sicut distinctè loquitur
Jehova, Exo 20. Veniam ad te & benedicā tibi.
Et secundum essentiam suam Deus sese sanctis
jungit & unit. Itaq̄ secundum illam essentiam
singulariter præsens est, quod certè impiis non
contingit. Præsentia igitur Dei fidelibus pro-
missa non tantum est singularis quædam Dei
efficacia, sed ante omnia ipsius essentia DEI
παρουσία peculiaris, ut non solum singulariter
operetur in sanctis, sed etiam sua essentia ad
iplos singulariter veniat, & secundaum hanc in
ipsis habitet, & mansionem in ipsis faciat. Nos
quidem comprehendere non possumus, quomodo
ille

ille aliquo possit venire, qui ubiq; sit: Utrumq;
tamen dicitur in scriptura. Neq; conjunctio
cum essentia Dei, quæ est præsentia singularis
promissa fidelibus communicanda est cum dia-
bolis & damnatis hominibus, vel cum lapidi-
bus, lignis, stellis, id quod illi faciunt, qui re-
spectu essentia Dei quendam sui modi descensum
& adventum quandamq; singularem præsen-
tiam non agnoscunt. Et hoc ideo magis urgen-
dum est hoc loco, quod consideratio ejus mode-
ratur præsumptionem, qua præsentia corporis
Christi cum pane sacrae Cœnae impossibilis fin-
gitur. Non enim minus mirabile est Deitatem
sua æterna & immutabili essentia in finitam &
omni præsentem in aliquo loco singulariter præ-
sentem esse totam, ut eadem præsentia non sit
ubiq;, quam quod corpus Christi verum & fini-
tum in pluribus locis simul & semel sua essen-
tia præsens vocetur. Eadem enim ratione, qua
quod finitum & circumscriptum est, non pu-
tatur salva finitate & circumscriptione simul
& semel in pluribus locis totum præsens esse
posse. Omnino inquam similem ob causam,
quod infinitum & ubiq; in loco aliquo uno es-
sentia suo totum præsens negabitur, & quidem
πᾶσι, qua non sit ubiq;.

Hic

Hic omnes qui priore assertione offenduntur, obtestor, ut antequam aliquid suo iudicio statuunt, in timore Dei posterius accuratè expendant. Atque utinam Calvinus dogma de corpore Christi secundum voluntatem salvatoris simul & semel omnibus in locis ubi Cæna Domini administratur cum pane præsentem ad fidei simplicitatem & religionem probasset, quam in Jacobo patriarcha observavit & collaudavit, Deum in loco aliquo singulariter præsentem credente, ipso certè auctore hæc lis tot annos non fuisset tracta. Dignum utiq; memoria est, quod Calvinus Gene. 25. vers. 7 de Jacobo appellante altare *EL BETH EL* his verbis scripsit: Quod loco nomen imponit Deus Bethel, videtur quidem esse nimis crassum, & tamen hoc quoq; elogio laudatur sancti viri fides, idq; jure, quandoquidem se intra fines divinitus præscriptos continet. Hoc est verè sapere, ubi Deum amplectimur, pro ut se ad modulum nostrum accommodat. In hunc modum Jacob non argutè disputat de essentia Dei, sed ex oraculo percepto Deum sibi familiarem facit. Quia verò sensus suos ad revelationem dirigit, grata balbuties hæc & simplicitas *DEO* est. Hanc sententiam Calvinus optarem omnibus Sacramentariis notam esse, itaq; expendant,

dant, ut singulas partes quaestioni de corpore
Christi pluribus in locis simul sistendo applica-
rent, eodemq; jure, quid simplici juri deberetur,
statuerent. Eandem fidei suae rationem antè
reddiderat Lutherus, sed pauci hoc ejus argu-
mentum urserunt, quo tamen $\Phi\sigma\omicron\nu\mu\alpha\tau\alpha$ in
aëre vagantium in ipsa sublimitate prehendi &
constringi possunt. Quod si etiam Piscator in
has notationes nostras incidere, obsecro eum,
ut hinc se vel me expediat. Ego quidem in hac
sum sententia, utrobiq; idem esse judicium, cum
tam repugnet infinitae & incircumscriptae essen-
tiae si in uno loco statuatur, quam finitae & cir-
cumscriptae essentiae si in pluribus locis sistatur.
Cum verò omnes fideles disputationem ad mo-
dum Deo possibilem, licet rationi non apparen-
tem rejiciant, quo scilicet illud salva divinae
essentiae veritate fiat, qua fide negabimus Deo
modum similiter possibilem infinito? Haud du-
biè Piscator credet naturam humanam Chri-
sti per se non subsistere, sed in persona $\tau\tilde{\iota}\varsigma$ $\lambda\omicron\gamma\alpha$.
An vero nunquam de hac sua fide deliberauit,
quibus fulciretur pedamentis: Certè rationes
hic exquirens homo nunquam non frustrabitur
studio suo, & mero atq; subtilissimophysico im-
possibile videbitur perpetuo naturam humanam
salva finitate & essentia non sua quadam fini-

K

ta,

ea, sed τὸ Ἄγος αὐτοῖς ὡς ἰπὸς αὐτοῖς subsistere. Et
hic tamen Piscator, modo Christiani nomen
tueri velit, contra physicum immotum axioma
id quod Catholica fides profitetur credet. Hanc
verò religionem sanctæ simplicitatis deserit,
quoties nobis in controversia Sacramentaria
de præsentia veri corporis Christi cum pane
sacrae Cœnæ in terra objicit impossibilitatis ra-
tiunculas. Videamus autem in quantum præ-
cipitur profanitatē simplicitatem fidei Chri-
stianæ calumnians Piscator: Corpus, inquit,
Christi in nos nihil agit, nec in animas, nec in
corpora nostra, Item, corpus Christi nec per
essentiam, nec per efficaciam cum pane est.
Quis obsecro ambigit animam infernalibus va-
poribus ebriam esse, quæ diabolicam istam cra-
pulam de corpore Christi impotentissimo exha-
let: Cohorresco utiq; referens verba Piscato-
ris, & hoc sanè deprehendo, hominem istum
per voluisse sylvam disputationis Sacramenta-
riæ, & observasse, ubi pix fundatur in qua hæ-
reant Calviniani antecessores. Verum cum ali-
orum malo cautior reddi debuisset, ut missis va-
nitatibus rationis humanæ Piscatoriam fidem,
hoc est, simplicem & piam sequeretur: Phry-
ge tamen stupidior iste majore profanitate re-
ctà rapitur ad extrema. Neq; ut Bucerus, Cal-
vinus,

vinus, Martyr, Beza, & his similes fastidie
amplius vetustos & abominabiles diaboli vo-
mitus, sed avidè illos appetit atq; haurit, & tan-
quam delicias aliis propinat. Jam dudum au-
tem evicimus corpus Christi in animas & cor-
pora nostra potentissimè agere, ut vel sextum
caput Johannis disertissimè tradit, & Beza sa-
tis liberaliter concessit dictū Christi: Mihi data
est omnis potestas in celo & in terra. Intelli-
gendum esse de datione, quæ assumpta natura
contigerit. Expendantur autem verba, Joh. 6.
Amen amen, dico vobis, nisi ederitis carnem
filii hominis & biberitis sanguinem meum, &c.
Hinc luce meridiana clarius est, verè præsen-
tiam corporis & sanguinis Christi promitti fi-
delibus, eamq; adeo arctam, ut perceptionem
intimam comestione & bibitione Christus ex-
primere voluerit. Disertè etiam carni Christi
tribuitur vis vivificandi, & cum Spiritus san-
ctus dixerit, Sanguis Jesu Christi filii D E I
emundat nos ab omni peccato, impurus Spiri-
tus Antichristi fuerit, qui dicat, carnem & san-
guinem Christi neq; in corpus, neq; in animas
nostras quicquam agere. Procul dubio autem
Piscator ex eodem loco Johannis regeret, Caro
non prodest, quicquam. Verum hinc docebit
prius, Carnem Christi talem esse. Ne enim di-

K 2 spute-

Spudemus nunc, quid Caro ibi significet, Bezae explicatio, quae Cyrilli est, valeat, nimirum Christum ex Capernaitarum hypothese loqui, carnem nihil prodesse, qualem videlicet illi imaginabantur à Spiritu & deitate separatam. Jam si de corpore Christi statueris id nihil prodesse, Capernaitarum hypothese prius affirmasse oportuit, neque ideo corpus nihil agit, quia Spiritus per corpus agit. Non enim organum tantum est sed & Spiritui personaliter unitum organum, ut si per illud agat, per proprium corpus in unitatem personae assumptum operetur. Quod & corpus cum Deitate agente in explicabili modo communicet, sine confusione quidem, & tamen ita ut qui carnem Christi vivificatricem neget, anathemate feriatur à concilio Ephesino. Sed haec ut manifestissima, jam pluribus non tractabo. Cumque primarii Sacramentorum corpori Christi non meritum solum, ut Piscator, sed etiam efficaciam tribuant, & vitam ex substantia corporis Christi ad nos manentem, quemadmodum Calvinus loquitur, minus opus est hic certamine laborioso nostro. Multus etiam hic non ero in refutando crasso illo mendacio, quod verbis Domini, Hoc est corpus meum, non significetur aliqua corporis Christi cum pane praesentia.

Nam


Nam & hic Calvinum habet adversarium Pi-
scator, cujus hæc memorabilis est testificatio in
institutionum lib. 4. cap. 17. num. 10. Omnino
piis isthæc tenenda est regula, ut quoties sym-
bola videant à Deo instituta, illic certo rei veri-
tatem adesse, certo cogitent ac sibi persuadeant.
Planè verò nugatorium est, quod quia corpus
Christi coràm à discipulis conspiciebatur de
præsentiâ ejus corporis nec quæstionem nec in-
dicationem esse potuisse. Christus enim visibili-
ter conversans cum discipulis intimam sui præ-
sentiâ ipsis promittit, Matth. 18. & 28. quæ
certè carnis etiam est & sanguinis ipsius, ut
explicatur Johan. 6. Et Matth. 18. Dominus
perspicuè quæstioni de Ubi orationem accom-
modat. Potius igitur Piscator ineptus est hæc
non intelligens, quàm Christus ita loquens. Et
quidem de præsentia argumento in verbis Cœ-
næ velim Piscatorem notare, quod cum Cin-
glius eam similiter explosisset, tandem Anno
57. Johannes Volpius, ut tantum crimen à
Cinglio amoliretur, obscura quædam loca præ-
sentiæ mentionem habentia ex scriptis ejus col-
legerit. Imprudentissimus igitur erit Piscator,
qui ea revocat & defendit quorum sæcæ sectæ an-
tecessores dudum puduerit. Sed & horum satis
tanquam quercus ut dicitur. Dominus, Jesus
Pisca-

Piscatoris audaciam reprimat, qua principium
controversiæ Sacramentariæ profanum & pu-
tidum, cuius ante signanos ante annos 50. pœ-
nituit, repetit, & tam Calvinianæ, quàm no-
stræ sententiæ confidenter contra dicit, hoc uni-
cè quærens, ne de iis, quæ tot annorum certami-
ne evicimus, gaudeat Ecclesia, & de cæteris ad
pacem felicius laboret, sed lis ab exordio reno-
vata sine fine trahatur, nullaq; ex parte concor-
dia coalescat. Convertite Jesu Christe aut evertite
omnes tales, quos hoc exulcerato seculo vul-
nera, quæ coiêre, refricare delectat, & sanctos
tuos in veritate confirma propter gloriam
tuam, quàm ex verbo tuo, quæ ve-
ritas, elucere oportet
maximè.



ns
u-
e-
o-
ri-
ri-
ad
o-
r-
re
il-
os





C
M
p
q
f
m

P



39 4452 6

ULB Halle

3


001 953 974



TA-OL







RESPONSIO
CLARISSIMI
VIRI D. DANIELIS
HOFFMANNI S. S. THEOLO.
gæ Doctoris & Professoris in Academia
Julia publici

FF 9452^d

AD

Questionum trium: An in verbis cænæ, Panis est corpus, Tropus sit: Quisnam ille sit, & in qua voce insit, Explicationem institutam & editam à Johanne Piscatore Theologiæ in schola Herbornensi Professore

E

Publicis lectionibus excepta & nunc tandem grævisimas ob causas ad Ecclesiam universam litens hanc secundum veritatem dijudicantem missa per quendam Christianæ pietatis studiosum.



LEMGOVIÆ,
Per Hæredes Conradi Grotheni.
—
cl. l. xci.

